

act. Nr. 229

W. W.

Tosamis, D.

n. 5. raitre Schriften.

K. III. 19.

DE LIBERTATE
FIDEI ET RE-
LIGIONIS CHRISTIA-
NÆ DISPVTATIO THEO-
LOGICA TRIPARTITA:

Ad quam

In Academia Moguntina pro gradu re-
sponsuri sunt artium & philosophiæ
Magistri, ac SS. Theologiæ Bac-
calaurei Biblici,

GODEFRIDVS A DRIELL NOVIOMAG.
ET
HENRICVS KREYTEN TRAIECT.

Præside

PETRO THYRÆO SOCIETATIS
IESV DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO.

B. Augustinus Epist. 166. ad Donatistas.

*Quæ est peior mors animæ, quam Libertas erroris?
Idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis Schismata.*

MOGVNTIÆ

Excudebat Casparus Behem.

S V M M A

DISPV TATIONIS DE LIBER-
TATE FIDEI, ET RELIGIONIS CHR-
STIANÆ TRIBVS QVÆSTIONIBVS
CONTINETVR.

PRIMA EST

Liberumne sit Infidelibus Christianam
fidem & Religionem amplecti?

SECUNDA EST

An ijs, qui se Christianos profitentur,
quæuis Religio, quæ Christiana di-
citur, sit permittenda?

TERTIA EST.

Quænam sit Libertas, quam fides siue Re-
ligio Christiana postulat?



REVERENDISSIMIS, RE-
VERENDIS, NOBILIBVS, EXIMIIS-
QVE VIRIS COLLEGIATÆ ECCLE-
siæ B. Virginis apud Moguntinenses Dominis
Canonicis atq; inprimis eiusdem Ecclesiæ Præ-
latis, Reuerendissimo & Illustrissimo Domino
D. Georgio Episcopo Vvormatiensi Præposito,
D. Ioanni Berneburg Decano, D. Nicolao à
Driell Scholastico, & D. Conrado Bartt Can-
tori, nec non D. Henrico Kriek Seniori, cæte-
risq; eiusdem Ecclesiæ Canonicis Capitula-
ribus, fautoribus & patronis nostris
plurimum colen-
dis.

AVD ita multi abiere anni, Reuerendissimi,
Reuerendi, Nobiles, Eximijq; Viri, cum materia & multa
& varia conuehi est coepta, ad nouæ & splendidae domus
aedificationem, quam Charitatis nomine Architectus ornauit;
quæ quidem in tantis fidei religionisq; procellis, omnia tempestatis incom-
moda firmitate sua propulsura esse videbatur. Nam cubilia, coenationes,
sedesq; sic esse distincta putabantur, vt quanquam populus Christianus in
partes distractus, de summis Religionis Capitibus acerbissimè dissideret,
vitam tamen in pace & tranquillitate degeret, diuinæq; Maiestatis lau-
des, licet discrepantibus vocibus, celebraret. Magnifica sanè promissa:
sed leuitatis & vanitatis plena. Neq; enim ad tectum aedificium sur-
gere vnquam potuit; tanta fuit operarum vel ignauia vel imperitia: neq;
(*) (*) si per-

P R Æ F A T I O.

si perfectum fuisset, diuturnum erat opus futurum; tantum vitium in ipso fundamento deprehensum est. Moles enim ingenti pondere duabus sustinebatur debilibus columnis; una, inani persuasione iustitiæ, quam Christus quidem suis meritis peperisse creditur, homines vero si eandem animo & cogitatione comprehendissent, subito ex improbis, iusti: ex sceleratis, puri: ex iniquis, sancti effici dicebantur. Altera, vana libertatis opinione, ut legum metu ab animis depulso, modò sacro essent fonte abluti, ad certam salutis spem erigerentur, in rebus diuinis cælestibusq; vel credendis vel aspernandis id sequerentur, quod ratio sensusq; suaderet. Quare mirum nemini videri debet, si, quemadmodum Sampson olim una opera utramq; columnam conuellit domumq; euertit; ita veritate instructi antiqua pietate viri id effererint, ut quassatis fundamentis, charitatis illa ædificatio disiecta, ædificatorum stultitiam declararet. Illud dolorem probis omnibus inussit, quod domus fædo lapsu corruens, quosdam quidem ita oppressit, ut erigi nequeant, alijs vero ea ex erroribus, tanquam è pulueribus concreta, nubes obiecta est, in qua dispellenda magno conatu enitendum sit. Nam etsi prior ille error nostrorum rationibus attritus è multorum animis enauit, posterior tamen altius impressus, magnas molestias ingenijs mobilibus & ad vanam libertatis cupiditatem excitatis, sæpenumero parit. Nihil enim iudicant homines esse turpius, quam ad alterius arbitrium, vitæ morumq; rationes instituere, alterius imperio contineri, alterius nutum & consilium in rebus credendis, & expendendis sequi. Ac in populari quidem illa viuendi licentia vel permittenda, vel defendenda minus fortasse sit periculi: de Christiana autem Libertate noua nostris temporibus est orta Quæstio, ad explicandum quidem non ita difficilis, sed tamen ad definiendum ardua, & propter homines scientiæ opinione tumidos adeo periculosa, ut si quid in ea statuenda vel leuiter pecces, Ciuium salus, vita, libertas, fides, pietas, religio, totius Reipublicæ dignitas in summum discrimen adducta esse videantur. Illud enim agitur, vtrum ad pacem & concordiam stabiliendam plus valere debeat diuini numinis metus Christianis mentibus iniectus, quam impunitatis spes, quam Magistratum contemptus, quam morum & pietatis neglectus. Quo quidem diligentius opera nobis danda fuit, ut res tota euoluta & explicata penitus, in omnium conspectu proponeretur, ne dum quisque quod lubet arripit, ac summa pertinacia tuetur, in perniciem exitumq;

PRÆFATIO.

viumq; ruant vniuersi. Tria autem omnino esse videntur, quæ in quæ-
 sionem adduci queant. Principio dubitari potest, Sitne liberum homi-
 ni vanorum Deorum cultui addicto Christiana sacra suscipere: an vero, si
 ab eisdem vehementer abhorreat, minis, vi, armis, pœnis propositis cogi
 debeat, vt Christianus fieri velit. Deinde vero, si sancta IESV CHRISTI
 disciplina fideq; semel sit imbutus, liceatne eandem deserere, & aliam ali-
 quam, modo tamen illa Christiana dicatur, liberè profiteri. Postremo quæri
 potest, quanam sit ea libertas, quam fides Christiana suis cultoribus affert.
 Et in prima quidem Controuersia componenda quosdam errasse video. nam
 cum maiorem rationem ducerent vtilitatis incertæ (quam vel in posteris
 sperandam iudicabant) quam veritatis, aut certi ac præsentis sacrilegij,
 decreuerunt licere Christianis Regibus Principibusq; Iudæos & Ethnicos,
 qui quidem sub suo essent imperio, malo cogere ad Christi sacramenta
 amplectenda; quod ad gloriam dignitatemq; Christiani nominis magno-
 perè pertineat, cognitione diuinæ sapientiæ, ad salutem erudiri multos, qui
 alioqui in sempiternum tempus perituri absq; dubio erant: quod in euellen-
 dis erroribus Christianæ pietati noxijs operam suam collocare debeant om-
 nes, qui aures animosq; sana doctrina imbutos habent: quod vix omnibus
 & rationibus salus errantium constituenda sit, & oportune & importune
 ad sanitatem homines sint pertrahendi. Atq; ita quidem illi. Sed quid?
 Nos rebelles animos, nulla ad id suscepta religione constrictos, adigemus
 ad ea credenda, quæ summa contentione aspernantur ac respuunt? nos vo-
 luntati vincula compedesq; iniiciemus? Quod neq; fieri vlllo modo potest,
 & si posset, contra tamen institutas à Christo in fide propaganda rationes,
 fieret. Venit agnus (ait S. Augustin. tract. 7. in Ioan.) qualis agnus est?
 quem lupi timent. qualis agnus est? qui Leonem occisus occidit. Dicitur
 enim Diabolus Leo circumiens & rugiens, quærens quem deuoret. san-
 guine agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum. Quod autem
 erit spectaculum, aut quam admirationem habebit si rex militem cogat,
 vim paret, exercitus terrore hostium pertinaciam frangat, & ad inquisi-
 mas etiam conditiones adducat? Quod si vel Christus vel Sancti Aposto-
 li his rebus aditum sibi ad aures & mentes hominum muniendum putaf-
 sent, nihil nouum, nihil inauditum fecissent. Imperator arma longè lateq;
 circumtulit, ac repugnantes obsequi sibi multis illatis incommodis coegit:
 minatur nemo his rebus imperij fines proferri potuisse: verum hominum

(* *) 3

pauco-

PRÆFATIO

paucorum inermium, ad res gerendas rudium pectora, diuino robore, sic impleri ac firmari potuisse, vt odia, exilia, lapidationes, carnificinas, gladios ignes in delicijs haberent, & doctrinam ab omni sensu alienam hominibus persuaderent: stulti & hebetes, sapientibus: infirmi potentibus; humiles, arrogantibus: inopes, ijs, qui rerum omnium abundantia circumfluebant, iura, leges, & credendi normas præscriberent. illud est, quod ad potentiam Dei declarandam vim habet maximam. Insignem hostium stragem edidit Gedeon mirabili fortitudine vir, eamq; victoriam est consecutus, quæ deleri ex hominum memoria nunquam poterit. Ingressus enim in castra Madian, quæ innumerabilibus copijs erant instructa, trecentos milites, quos circa se habebat, ita edocuit, vt cum ad hostem esset ventum, vasis fictilibus, quæ singulis distribuerat, collisis, clamorem tollerent, tubarumq; clangore terrorem hosti incuterent, fore vt re inopinata turbatus, & somno vix solutus ad defensionem parandam parum esset idoneus. Nec vana spes. vt primum enim fractis vasis emicare flamma cepit, & clamor audiri; conuersi in mutua vulnera hostes, cædibus, eui-latu, effusa fuga omnia compleuere. Hic mihi Gedeon cum paucis, quos sibi adiunxerat, IESU CHRISTI & Apostolorum in hoste profligando imaginem gessisse videtur. Etenim idoneos ad pugnam iudicabat Gedeon eos, non qui hastam vibrare, ictus validos inferre, gladijs scitè, & ad imponendas & auertendas plagas vti possent: sed qui ab armis nudi currentes & lambentes sitim depellerent, & ad clamandum essent robustissimi: & Christus Dominus homines nullo numero (si humano supercilio rem æstimes) nullis viribus ad expugnandos iustitiæ hostes à se dimisit, virtute, constantia, laborum perpeffione omnia se consequuturos vt sperarent, iussit, clamore tantum, & cælestis tubæ sonitu omnium aures implerent, donec varijs cruciatibus attrita collisq; fictilia corpora ardentem in pectore flammam emitterent, quæ admirationem omnibus concitaret, & ad opus Dei cognoscendum deduceret. Sic initium, sic incrementa accepit Christiana religio: sic conseruata: sic aduersus pietatis inimicos semper defensa est. Iam vero illud alterum Disputationis caput breuius multò & facilius expediri potest. Neq; enim esse quicquam potest, quod à ratione sensuq; magis discrepet, quàm vt eam doctrinam, ad quam singulari Dei beneficio, ipso Spiritu Sancto Magistro edocti sumus, vel è memoria effluere per socordiam patiamur, vel per summum scelus ex animo deleamus. Quam
vero in

PRÆFATIO.

vero in tetros & immanes errores dilapsi sunt, qui animos Christianorum vera Religione solvunt, & quod sibi optimum esse iudicauerint, id sequi iubent? E Christianis Catholicis primùm Lutheranos, deinde Calumnianos, mox Zwinglianos, postea (horret animus) eiurato Christo Iudæos, demum Mahumetanos factos vidimus: & quod magis mirere ipsos etiam nouæ disciplinae magistros ad tantam amentiam descendisse. At enim Reipublicæ pax conseruari non potest, nisi liberum sit de Religione iudicium. Vnde igitur Gallie, vnde Germaniæ cæterarumq; prouinciarum tam turpis & luctuosa laceratio? vnde Ciuium dissensiones, acerbissima odia, bella intestina, ædium sacrarum euerfiones, direptionesq;? vnde cædes & latrocinia? vnde tanta Religionis vastitas? Si rectè ratiocinabimur, ab hac libertate, omnia profecta esse inueniemus. vt enim nullum vinculum ad deuinciendos charitate animos vera Religione est firmitus; ita nihil esse potest dissensione in rebus fidei, ad disturbendam concordiam potentius. Nam cum in cæteris rebus omnibus ad suam complectendam sententiam naturâ homines incitantur: tum vero ad opinionem de Deo semel conceptam defendendam ita impelluntur, vt vitæ discrimen adire non dubitent, si ea vel defendenda sit, vel in aliam commutanda. Ita fit, vt nulla pestis præsentior rebus communibus esse possit, quàm ea ipsa libertas, quam ad sananda Reipublicæ vulnera adhibendam isti volunt. Deniq; vt pari breuitate tertium Caput absoluamus; illud verè videmur esse dicturi, quanquam delirare semper solent, qui ab vnitæ Christi ad rixas, odia, prauas opiniones magno studio seminandas discesserunt: in ea tamen quæstione, quæ postremo loco reseruata fuit, definienda, ita pueriliter, stultè, leuiter, operam lusisse, vt ad seruandos hos homines, quid agas, plane ignores. Ratione pugnas? pertinacia se defendunt: sensum requiris? contra impudenter strepunt. prudentiam desideras? stultitiam amplectuntur. Cupiditates feras metu diuini numinis compressas tenere: sensum omnè & rationem sub imperium Dei subiungere: summa cura & diligentia, ad legis diuinæ præscriptum vitæ rationes dirigere: ne quid criminis, aut sceleris in te admittas, prouidere: si quid labis contractum sit, id suspirijs, gemitibus, fletibus eluere, eam nimirum veram esse, & Christianam libertatem contendimus, qui in domo Dei, apud pedes Christi animo quieto & placido credere didicimus: illi contra, diuinæ iræ formidinem omnibus adimunt; quò praua cupiditas impellit, eò impetum ferre iubent; arbitrato suo vitam instituere,

P R Æ F A T I O.

tuere, pietatis studia negligere, id libertatis Christianæ rationem exigere magnis clamoribus apud suos obtinere conantur. Sed profecto hæc sunt mala retia, quæ cauenda esse docet S. Augustin. (de fide & operibus cap. 17.) præcipuè piscatoribus, id est, Episcopis, & inferioris ordinis Ecclesiarum præpositis. Diuersis quidem retibus è multiplicibus & discrepantibus erroribus contextis, Heretici ad capiendos homines, sæpenumero vsi sunt, nunquam tamen (quod quidem meminerim) maculis grandioribus. Quod cum probè intelligeremus; & videremus tamen multos honesto ingenio viros prauam & perniciosam animo imbibisse opinionem, rem Christianam timidius gerere, & Principum quoq; studia in euellendis erroribus aut impedire, aut retardare, gratum nos multis facturos putauimus, si rem sine fuce, & verborum lenocinijs propositam, hac Disputatione examinarem, & bonorum animos ab errore liberarem, aut certè opinionem multitudinis consensione confirmatam, veritatis machinis admotis conuelleremus. In cuius autem nomine hæc res appareret non magnopere nobis deliberandum fuit. quocumq; enim animo & cogitatione nos conuerteremus, vos R. R. D. D. occurreratis, quibus hoc quaecumq; studiorum nostrorum pensum deberi videbatur; vt qui è Scholasticis huiusmodi concertationibus multum voluptatis capere soletis, & eum in vestro Collegio habetis, qui quemadmodum vestri ordinis haud paruum est ornamentum, ita in Theologicis studijs, per annos aliquot, nostros conatus egregie iuuat semper & iuuare porro non desinit, Venerab. D. Nicolaum à Driell intelligimus, Vestræ Ecclesiæ per multos annos Scholasticum, & Charissimum nostrum patrum, cui cum imprimis nos gratos esse oportebat, vos non eratis prætereundi. quod si voluntatem in grati animi significatione danda susceptam placuisse intellexerimus, laboris fructum vberem nos percepisse putabimus.

Moguntia Calend. Februarij anni 1590.

RR. DD. VV.

Cientes

Godefridus à Driell Nouiomag.
Henricus Kreyten Traiect.



ISAGOGE
In Disputationem de
Libertate Fidei atque Religio-
nis Christianæ,

*In qua breuiter, quid in Controuersiam vo-
catur, aperitur.*

I. THESIS.

ETSI vna omnium sententia sit, Fidem Chri-
stianam dici, quæ à Christo Domino primum in
hunc mundum inuenta, Christianos homines à Iu-
dæis & quibuscunq; Paganis distinguit; vna tamen
non est, quam hoc tempore, qui Christiano nomine censentur,
vbiuis locorum profitentur, fides: sed alia quidem illorum, qui
Romanæ Ecclesiæ adherent, alia illorum, qui se Protestantes,
Euangelicos, & Reformatæ Religionis affirmant.

II.

VTRORVMQVE fides Christiana dicitur; sed tamen
Vtrorumq; fides non est Christiana. Necessè est vel hi,
vel illi habeant Pseudochristianam. Quoniam, vt alias à nobis
A de-

demonstratum est, non nisi vna est, quæ saluare potest, fides: id est non nisi est vna Christiana fides.

III.

SED tamen in hac de Libertate fidei Disputatione, nō tantum de vera illa noster sermo erit; nec eius solummodo, quam in mundum Christus innexit, Libertas excutienda est: Disputatio, prout argumentum postulabit, ad illam quoq; se extendet, quæ quidem Christiana non est; sed tamen dicitur, & prædicatur esse Christiana fides, & Religio.

IIII.

LIBERTAS verò fidei duplex potest intelligi: altera quam ipsa suis parit professoribus: altera quam homines ad ipsam vel capessendam, vel retinendam habere possunt. Ibi queritur, Qua libertate fruantur Christianæ fidei Professores; hîc, Sitne liberum quiduis pro voluntate credere.

V.

POSTERIOR quæstio bipartita est. quoniam vel ad eos pertinet, qui Christianam Religionem nunquam susceperunt, sed in errorum tenebris adhuc hærentes, veri Dei cognitione orbatî sunt: vel illos, qui Christum quidem Deum, & Redemptorem hominum agnoscunt; de Religionis tamen dogmatibus non per omnia bene sentiunt. Apud illos queritur, Liberane facultas sit ipsis Christianam Religionem amplectendi: Apud hos, Num ipsis permittenda sit Libera fides atq; Religio, qualiscunque tandem illa sit; modo sit vel dicatur Christiana.

VI.

POSTERIORIS solutio ex Magistratus, qui cum auctoritate populo Christiano præest, arbitrio & potestate petenda videtur: Prioris ex lege, quæ ipsis, vt fidem Christianam complectantur, necessitatem imponit. Sed tamen & hîc Magistratus ratio haberi debet; propterea, quòd si lex est, quæ

quæ necessitatem fidei Christianæ imperat; etiam apud Magistratum potestas esse videri possit, quæ legis observationem urgeat.

VII.

TOTA igitur Disputatio tribus Quæstionibus Capitalibus absolvitur.

Prima est,

Liberumne sit Infidelibus Christianam fidem complecti?

Altera est,

An ijs, qui se Christianos profitentur, quævis Religio, quæ Christiana dicitur, sit permittenda?

Tertia est,

Quanam sit libertas, quam fides siue Religio Christiana postulat?



QVÆSTIO PRIMA

**DE LIBERTATE RELIGIONIS,
ET FIDEI CHRISTIANÆ.**

Sitne liberum Infidelibus Paganis, &
Iudæis Christianam fidem atque
Religionem comple-

cti.

A 2

PRIMÆ

PRIMÆ DISPUTATIONIS
CAPVT PRIMVM.

Ex duplici capite demonstratur non esse liberam, sed maximè necessariam fidem, Religionemq; Christianam, ad consequendam vitam æternam, omnibus Infidelibus.

VIII. THESIS.

EX duplici capite quantam Mortales libertatem habeant ad fidem Christianam complectendam, peti potest. Ex fine, ad quem à Deo Opt. Max. conditi sumus; & præterea ex lege superioris. Si enim ad vitam æternam fides Religioque, tanquam medium, necessaria non est; deinde, si nulla superioris lege est præcepta, nulla incumbit mortalibus necessitas, vt illam complectantur. si vero vel lege est præcepta, vel tanquam medium ad salutem est necessaria, nulla relicta est libertas: summa imposita est necessitas.

IX.

*Disput. de
vera fide.*

ET quidem esse fidem medium, sine quo salus nemini contingit, alias à nobis copiosè demonstratum est. quo fit, vt ex hoc capite Infidelibus necessitas incumbat vel præsentissimum periculum salutis subeundi, vel fidem, Christianam Religionemq; complectendi.

X:

SIC etiam esse legem, quæ eandem omnibus imperet, dubitare nemo debet; propterea quod quæcunq; prope modum ad salutem æternam consequendâ necessaria sunt, lege aliqua vel humana vel diuina præcipiantur.

XI.

XI.

VERVNTAMEN, quæ fidem imperat, humana lex nec est, nec esse potest: non ob illam solum causam, quod in actibus internis (quales sunt fidei) hæc nihil præcipere possit, quemadmodum nec de ijs potest iudicare: verum etiam propterea, quod quæcunq; humana potestas est in Infideles, illa vel circa fortunas est, vel corpora: in animorum causas illa se non immiscet.

XII.

QUID enim, Ciuilisne Magistratus Fidem Infidelibus imperare potest? at hic pacem Rerumpublicarum sibi propositam habet; quam si dissentiens Religio, id est, Paganorum infidelitas (quod fieri potest) non inturbat, causam non habet Christianus Princeps, cur lege Fidem Christianam Paganis imperaret.

XIII.

AN potest Magistratus Ecclesiasticus? Non potest. Quid ita? Quia huic non nisi Christi ouium cura commissa est, & eorum qui sunt in Christi Ecclesia. Nihil ad ipsum pertinet de ijs, qui foris sunt, iudicare. Cum ergo Christi oues non sint Infideles; cum in Christi Ecclesia non sint; cum foris sint; nulla humana lege, vt fidem complectantur, cogi possunt. 1. Corinth. 5.

XIII.

DIVINA igitur Lex est, quæ Religionem imperat. Legem hanc licet plurima, quæ passim fidei necessitatem in Scripturis demonstrant, insinuent, non obscure tamen illa Christi ad Apostolos habita oratio, Prædicate Euangelium omni creaturæ, declarat. Marci. 16.

XV.

ESTO hinc Apostolis necessitas imponatur: sed tamen negari non debet, quin hac eadem lege omnis creatura

Ioan. 20.

teneatur, vt prædicatum Euangelium suscipiat; propterea quod illis iniuncta necessitas Infideles etiam inuoluar: nec vna sine altera subsistere queat. Sic dum alibi Apostolis præcipitur, vt vel remittant, vel retineant peccata; Christianis omnibus peccatorum vinculis constrictis imponitur necessitas peccata sua confitendi: & quando mandatur, vt omnes baptizent in nomine Sanctæ Trinitatis; omnibus, vt Baptismum suscipiant, præcipitur.

Marci. 16.

XVI.

PORRO quia diuina Lex est, quæ fidem Infidelibus imperat; hinc est, quod non pauci, in fidei causa delinquant, & sibi præsentissimi mali causa sint & authores,

XVII.

PECCANT primum illi, qui omnibus quibus possunt modis cauent, ne ad subiectos sibi populos fidei lux deferatur, & Euangelium prædicetur: & tanto ipsorum peccatum grauius est, quanto ad plures prædicati Euangelij fructus peruenire posset.

XVIII.

PECCANT deinde, qui postquam fidei veritatem agnouerunt, eiusq; sanctitatem perspexerunt: potius tamē eligunt in densissimis ignorantie tenebris versari; quam in luce Euangelij salutem suam operari.

XIX.

PECCANT tertio grauissimè, qui susceptam semel fidem & Religionem Christianam deserentes, ad castra confugiunt vel Saracenorum, vel Iudæorum; vel aliam quamcunq; superstitionem complectuntur.

XX.

VERVNTAMEN, qui nec fidem Christianam vnquam auditam abiecerunt, nec oblatam recusarunt
reci-

recipere, in salutis quidem discrimine certo versantur, propterea quod medijs ad salutem necessarijs destituti sunt; nouo tamen Infidelitatis crimine non implicantur: quoniam in legem, quæ ad fidem ipsos obligat, nullam peccauerunt; ignorantia, quam dicimus inuincibilem, illis in hac causa patrocinante.

XXI.

AB Infidelitatis quoque crimine eos censemus liberos, qui leuiter doctrinam Christianam, ut veram & necessariam asserentibus, non assentiuntur. Si enim hos peccare nullus dixerit, quando Hæreticis, aut Iudæis suam Religionem astruentibus, assensum præbere recusant; peccabunt si Christianis atque Catholicis fidem non accommodent?

Bannes in
initio 2. 2. D.
Thomæ.

XXII.

QVID, quod totam doctrinam explicantibus possint non assentiri Pagani; & tamen nec tunc quidem incurrant Infidelitatis peccatum. Ut cum ratione credamus, postulat ratio. & Scriptura teste, Leues sunt corde, qui facile credunt. & tum demum Iudæos peccato Infidelitatis reos Dominus declarauit, quando post tot & tanta, omni fide maiora testimonia, necdum propositum veritatis lumen complecti voluerunt.

Ecclesiast. 19.

Ioann. 15.

XXIII.

TVM tandem nouo se peccato Infidelitatis inuoluunt, quando & fidem Christianam cognouerunt, & iustis ex causis eam præ quacunque Religione iudicarunt completendam; & tamen in perfidia sua potius persistendum sibi arbitrantur, quam in luce Euangelij versari.

XXIIII.

PORRò Infidelitas hæc ita peccatum est, ut aliquando etiam sit peccati pœna; iusto Dei iudicio: qui ob præcedentium delictorum vel magnitudinem, vel multitudinem, homi-

hominibus auxilia sua, quæ ad credendum iuuant, negat: quanquam multò maior illorum numerus sit, qui vltro oblata respuunt, & grauius in se diuinam iram accersunt.

PRIMÆ DISPUTATIONIS
CAPVT SECVNDVM.

Docetur non licere Christianis Principibus vi atque armis Infideles compellere ad Christianam fidem siue Religionem.

XXV. THESIS.

QVANTA necessitas mortalibus incumbat Christianam fidem complectendi, demonstratum est: sequitur iam proximè, vt inquiramus, Vtrum Paganus ad fidem, ad quam lege diuina tenentur, Magistratus Christiani vi vel armis possint, aut debeant compelli.

XXVI.

OFFICIUM charitatis fraternæ postulare videtur, vt proximi salutem, quantum in nobis est, promoueamus: sed tamen, vt hac ratione fidem, sine quæ salus non obtinetur, apud proximum promoueamus, nulla satis firma ratio, quæ demonstret, potest adduci.

XXVII.

CERTè qua ratione fides propaganda sit, & in Infidelium mentibus inserenda, melius quam à Christo discere non possumus. Atq; hic vbique mansuetudinem postulat: vbique armorum apparatus, vbique hostilem vim auersatur. Quod dicimus deprehendet, qui vel ipsius mores obseruarit; vel volet attendere, quibus rationibus primum ipse

De Libertate Fidei.

9

ipse mundo annunciauit Euangelium : quos sibi socios & Synergos in hoc negotio asciuerit : quæ mandata, partim ante mortem, partim post mortem, quando suos cum potestate ad prædicandum Euangelium misit, dederit : denique quomodo ab ipso missi, suo officio perfuncti fuerint.

1
2 3 4
5

XXVIII.

MORES Christi pacatissimi fuerunt ; atque ab omni vi & tumultu alienissimi. Non contendet, inquit Propheta ; neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius : arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet. Sed & ipse Dominus vult à se discendam mansuetudinem & cordis humilitatem.

Isaie 42.

Matth. 11.

XXIX.

AD doctrinam suam persuadendam nullam voluit adhibere vim : & tamen potuit pro se non solum vniuersam armare creaturam, verum etiam quocunq; libuit, inflectere hominum voluntates. Arma eius fuerunt verbum spiritus, inculpta vita, prodigia atq; miracula, & diuina oracula : quæ plus apud benè sanos quibuscunq; externis armis efficere potuerunt.

Ioan. 7. 11. 15.

XXX.

NOLVERUNT aliquando Dominum recipere Samaritani, quemadmodum testatur Euangelista Lucas. indignitate rei commoti Apostoli postulant ignem descendere de caelo, qui ingratos absumat. Quid vero Dominus ? Tantum abest, vt ipsorum desiderium probet, vt hanc vlciscendi rationem procul à spiritu suo alienam esse disertis verbis declaret. Nescitis, inquit, cuius spiritus sitis?

Luca 9.

XXXI.

QVOS socios atque Synergos operis tam necessarij atq; salutiferi assumpsit ? Nonne illos ipsos, qui vi atque armis nihil possent ? Infirma mundi elegit Deus, inquit Apostolus, vt confundat fortia ; quæ stulta sunt mundi elegit Deus,

B

vt

i. Corinth. 12

vt confundat sapientes: ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt; vt ea quæ sunt destrueret. At si vi ad Euangelium prædicandum vri voluisset, non mundi infirma, sed fortia: non ignobilia atque contemptibilia, sed nobilia: non ea quæ non sunt, sed quæ sunt, assumpsisset.

XXXII.

Luc. 10.

SIC quando suos ad prædicandum Euangelium mittit, non armis instruit; sed patientia, sed miraculorum virtute, sed oratione, sed integra vita. Vt oues in medium Luporum mittit, non vt ferocientes equos, aut terribiles Leones.

XXXIII.

Matthæi 10.

ITA nec in eos vult grauius animaduertendum, qui prædicatum Euangelium superbè reijciunt: solum docet puluerem pedum excutiendum; & superuenturam olim grauisimam iram denunciandam, qua certo certius inuoluendi sunt, qui fidei lumen recipere recusant.

XXXIII.

Ibidem.

HVC facit quod suos nolit vtî virga aut baculo in via: vt ex his etiam externis signis tam Apostoli, quam illi, ad quos Apostoli diuerterent, intelligerent nullam vim cum prædicato Euangelio afferri: sed salutis tantum offerri remedium; quod qui vellent, possent cum animorum suorum immortalî lucro comparare.

XXXV.

Ibidem.

HVC facit quod in domum vel ciuitatem ingressi, pacem iubentur annunciare: Vt omnes norint aduentum ipsorum esse pacis plenissimum: & doctrinam, quæ affertur, non armis propagandam: denique illius pacis esse genetricem, quæ, vt Apostolus loquitur, omnem sensum superat.

Philip. 4.

XXXVI.

HANC legem Dominus seruauit, quando suos primum ad oues, quæ perierunt, domus Israel misit. à mortuis vero vbi iam gloriosus resurrexisset, & in vniuersum terrarum orbem
eosdem

eosdem cum plena potestate mississet; in rebelles & non credentes nullis temporalibus pœnis aduertendum esse significat: omnem vindictam vult vni Deo relinquendam: Prædicate, inquit, Euangelium omni Creaturæ: qui non crediderit condemnabitur.

Marc. vltimo.

XXXVII.

EANDEM Euangelij prædicandi normam seruauerunt Apostoli. Id vno Exemplo demonstrasse suffecerit. Paulus & Barnabas, cùm venissent Antiochiam Pisidiæ, & ingressi Synagogam Christum Iudæis prædicarent; illi verò contradicerent ipsorum orationi; & conuitijs insuper blasphemias coniungerent; nunquid ad arma conuertuntur? Non conuertuntur, quod à Domino didicerunt, faciunt. id est, repulsam passi recedunt. Vobis, inquit, oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.

Actor. 13.

XXXVIII.

FORSITAN hanc rationem initio, cum adhuc infirmæ essent Christianorum vires, necessariam fuisse quis dicet: autis verò Christianorum rebus armatam manum afferri posse: & ad fidem Christianã cogere licere Infideles, eorum opera, quos tum Ecclesia desiderabat, Christianorum inquam Principum. Sed, vnde, quæso, constabit aliam rationem posterioribus temporibus, ad ultra iam Ecclesia, ineundam esse? An fortè huius rei testimonium aliquod præbent sacræ literæ? an exempla eorum, qui Apostolos secuti, fidem Christianam per vniuersum orbem promulgarunt? an res gestæ Principum Christianorum? an ratio ipsa?

1
2 3 4
5

XXXIX.

SACRÆ literæ suorum temporum tantum meminerunt: de futuris nullas leges præscripserunt. Docent quibus rationibus olim fides sit introducta: quibus sit introducenda non præscribunt. Porro pacem tranquillitatemq;

B 2

Matthæi 22.

Lucæ 14.

tatemque, & ad omnes mansuetudinem, vehementer urgent, & inculcant. Quod si alicubi compellendos volunt, ut ad paratas nuptias veniant, qui in vijs sedent, & plateis: id de vi, quæ per doctrinam, per miracula, per inculpatam vitam affertur, intelligendum est; non illa, quæ armata fit manu, & hostili impetu.

XL.

2. Corinth. 6.

Hom. de Petro & Paulo.

QUI Apostolos sequuti sunt, iisdem, quibus Apostoli, institerunt vestigijs. Nulla ipsis de armis fuit cogitatio. In oratione, in labore, in vigilijs, in integris moribus, in miraculis & portentis maximum semper præsidium propagandi Evangelium constitutum esse putauerunt. Id vel solus declarat Martyrum excellens chorus, qui non aliorum, sed proprii sanguinis profusione, semen verbi diuini longè lateq; sparserunt; ut non immerito dixerit de Romano Imperio Leo Pontifex Max. Minus est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.

XLI.

Dist. 45. c. de Iudæis.

CHRISTIANORVM Principum studium fuit, non tam fidem propagare; quàm ne Christianis Pagani essent molesti providere. Quod si vnus Sisebuti Hispaniarum Regis Exemplum profertur, qui subiectos sibi Iudæos ad Christi fidem compulerit: id ad ius præscribendum satis esse non debet. Probamus Sisebuti pro Christi fide propaganda Zelum; non probamus factum.

XLII.

Philip. 1.

PORRO nulla ratio est, quæ arma Ecclesiæ ad fidem propagandam permittat. Quid enim? æquumne cenſebimus, ut non ingratis tantum, verum etiam inuitis sua beneficia Deus obtrudat? An fortè beneficium non est fides? aut si beneficium est, diuinitus collatum non est?

XLIII.

OMNINO vult Deus, ut intelligant homines fidem esse diuinum donum. Quocirca non humana industria; non ijs rationibus, quibus vrbes & arces, Infidelitas in hominum animis

mis expugnanda est; sed alijs longè superioribus: quæ quidem vim externam non afferunt; nihilominus plus omni vi atque externis machinis promouent, & rebus ipsis fidei Christianæ egregium testimonium præbent.

XLIIII.

PRÆTEREA cupit Dominus voluntariam esse seruitutem, quæ ipsi præstatur. cor postulat, & non tantam manus, atque pedes. detestatur duplices animo. displicent qui labijs honorant, & corde quam longissimè ab ipso distant. Iam verò coacta seruitus voluntaria non est. honoret licet labijs, non tamen corde honorat Deum.

Proverb. 23.
Eccles. 2.
Marc. 7.

XLV.

INDIGNVM quoque est Christianæ Religionis mysteria atque Sacramenta profanari. Indignum margaritas ante porcos projici. At ubi inuiti ad Religionem Christianam coguntur Infideles, nonne necesse est sanctitatem Religionis profanari? Sacramenta indignè tractari? margaritas porcis obijci?

Matth. 7.

XLVI.

SED & fidei illa conditio est, vt libertatem imprimis postulet. quoniam ad assentiendum non rerum nos euidencia compellit, sed voluntas est, quæ assensum imperat. Aequissimum igitur erat, vt sua hominibus libertas relinqueretur: æquissimum, vt nulla vi ad credendum impellerentur.

Thom. 3. p. q.
7. at 3. ad 2.

XLVII.

IN hanc sententiam loquuntur sancti Patres. Beatus Augustinus sermone sexto de verbis Domini sic habet. Multi pagani habent istas abominationes (idola) in fundis suis. Nunquid accedimus & confringimus? Prius enim agimus, vt Idola in eorum cordibus confringamus. Quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut præueniunt nos. Modo orandum est pro illis, non illis irascendum. Cum Augustino consentit Ambrosius. Prædicatores, inquit, veritatis non debent vim potestatis exercere. Nec dissentit Gregorius.

Lib. 7. Sup. 10.
Luca.
Epist. 52. li. 2.

*In vita Meta-
phrast.*

gorius. Noua & inaudita est prædicatio, inquit, verberibus fidem exigere. Idem sanctissimus Pontifex vult Apostoli regulam esse obseruandam: & obsecrandum in omni patientia & doctrina. Non vult Dominus, dicebat B. Iacobus Hermogero, vt aliquis inuitus conuertatur.

XLVIII.

*Dist. 45. c.
qui sincera.*

HANC rem confirmant sacri canones. Extat decretum Gregorij in hæc verba. Qui sincera intentione extraneos in Christiana Religione, ad fidem cupiunt rectam perducere; blandimentis debent, non asperitatibus studere: ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat reuocare, pellat procul aduersitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui voluerint cultura remouere, suas illi magis quam Dei causas probantur attendere.

XLIX.

*c. sicut, de Iu-
dæis.*

EXTAT quoq; Canon Clementis III. Statuimus (inquit) vt nullus inuitos vel nolentes Iudæos ad Baptismum venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit; postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absq; calumnia efficiatur. quippe Christi fidem habere nõ creditur, qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus sed inuitus cogitur peruenire.

L.

Capit. 65.

HÆC est sententia Patrum in Concilio Toletano III. Sic enim ibi legimus. De Iudæis præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendũ vim inferri. Cui enim vult Deus miseretur, & quẽ vult indurat. Non enim inuiti saluandi sunt: sed volentes: vt integra sit forma iusticię. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate, obediens serpenti, perijt; sic vocante se gratia Dei propria mentis conuersione quisque credendo saluatur.

LI.

AVQVE hæc, quæ dicimus, ad omnem omnino Magistratum, quantacunque etiam ille authoritate refulgeat, perti-

pertinere arbitramur. Nullus omnino est in Ecclesia Christiana Magistratus, qui ad Christi Euangelium complectendum cogere possit. Non potest Civilis; non potest Ecclesiasticus. Non possunt, apud quos summa est in orbe Christiano potestas, Imperator vel Pontifex Romanus.

LII.

SIC nullam omnino vim externam hinc permissam esse existimamus. Non solum non licet armis persequi pertinaces: sed nec fidem exilio urgere, nec bonorum confiscatione, nec filiorum ablatione. Summa, Nulla, quæ vim adferre videri possunt, præsidia adhibere licet.

LIII.

HÆC inquam non licent, etiam post quæcunque adhibita ad fidem persuadendam argumenta. Ad arma, ad proscriptiones, ad exilia, ad bonorum confiscationes venire non licet, etiam postquam fides sufficienter vitæ integritate eorum, à quibus prædicatur; postquam rationibus irrefragabilibus atq; adeo omni fide maioribus, portentis, signis, atque prodigijs est astruata. Summa libertas fidei est.

LIIII.

IDQVE dictum volumus de omnibus omnino Infidelibus, qui Christianam Religionem nondum complexi sunt: siue illi Iudæi sint, in quos tamen plus Iuris, quam alios, habet Ecclesia: siue profiteantur Mahometismum, siue quamcunque aliam, Christi Euangelio contrariam & repugnantem, superstitionem sequantur.

LV.

AD de quod quemadmodum ad Christianam Religionem complectendâ cogi nequeunt: sic nec ad Fidem atq; Euangelium Christi audiendum compelli posse videantur Infideles. Id, iisdem rationibus persuasum existimamus, quibus quod ad fidem complecten-

plectendam cogi non possint, probatum est. Quæso, quæ causa est, ut ad Christi fidem audiendam compelli possint; ad suscipiendum fidem compelli non possint?

PRIMÆ DISPUTATIONIS
CAPVT TERTIVM.

*Quantum ius habeat Ecclesia in causa fidei
atque Religionis apud Infideles promouenda,
expeditur.*

LVI. THESIS.

VERVNTAMEN ius aliquod ad fidem Christianam apud Infideles propagandam habet Ecclesia Catholica: licet ad fidem complectendâ armis atq; vi cogere neminem possit. Hoc quantum sit, nunc explicandum est.

LVII.

PRIMVM igitur omnium Euangelium doctrinamque Christianam quibuscunque Infidelibus proponere potest. Hoc ius collatum esse Apostolis aperta Christi oratio, Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni Creaturæ, demonstrat. In Apostolis vero Ecclesiæ traditum esse, probat partim quod omni Creaturæ prædicandum Euangelium doceat Dominus; & non illis tantum, qui Apostolorum temporibus fuerunt; partim quod vniuersè omnes damnandos asserat, quicunque prædicatum Euangelium fide non sunt apprehensuri.

LVIII.

SED & sequentibus sæculis omnibus iure hoc vsa est Ecclesia. Testatur id Italia conuersa per Prosdocimum, Apollinarem & Aspremium Romanæ fidei assertores: Gallia per Martialem, Dionysium, Maternum, Valerium & Eucharium: Britannia per Domitianum & Fugatium: Germania per Bonifacium, &

Docet

LIX.

DOCET Augustinus semper incrementum sumere Christi regnum, noua scilicet Infidelium accessione. At profecto nulla hoc fieri ratione posset; nisi essent, qui Euangelium ad Infideles deferrent, & eius lumine tenebras ignorantiae ex ipsorum mentibus dispellerent. *Lib. 10. de Ciuitate Dei. capit. 8.*

LX.

Postulat quoque caritas Christiana, qua omnes omninò coniunctos esse oportet, vt, quantum in nobis est, alterius bonum promoueamus. Verum promouere non possumus magis, quam vt proposita Euangelij Luce ex praesentissimo animae periculo proximum eripiamus.

LXI.

ACcedit, quod omnis via ad aeternam salutem capeendam Infidelibus interclusa esset, si per Ecclesiam ad ipsos veritas Euangelij deferri non posset. Neque enim quemquam clam est sine fide esse impossibile placere Deo: & credere neminè posse sine praedicante; quando, vt Apostolus loquitur, *Hebr. 11.* fides ex auditu est. Et hoc primum ius est, quod Ecclesia habet. *Roman. 10.*

LXII.

Alterum est, quod Infidelibus quoque suos possit ob oculos proponere errores, rationesque dare falsae & superstitiosae Religionis. Hoc Apostolos praestitisse non apud Iudaeorum tantum populum, verum etiam alios, quocumque tandem diuerterent, ipsorum res gestae partim ab Euangelista Luca, partim ab alijs descriptae, testantur.

LXIII.

Conueniebat, vt iure hoc Ecclesia frueretur. Quoniam pro dignitate fidem Christianam asserere, & Infidelibus persuadere non potuit; nisi quamcumque Christianae contrariam prius demonstraret falsam esse, & erroneam.

C

LXIII.

SPERANDVS etiam sic erat facilius Infidelium ad Christiana Castra transitus: quando non potuerunt non de alia Religione capeffenda cogitare, vbi illam in qua nati & educati essent, nulla satis firma ratione & fundamento niti perspexissent. Hoc secundum,

XLV.

TERTIVM ius est, quod superstitiosæ Religionis ritus quosdam possit tollere, & prohibere. In quorum genere inter alios sunt illi, qui manifestam Barbariem continent, & apertè naturæ iura violant; quales sunt hominum cædes idolis consecratæ; atq; illi, qui Reipub. pacem & tranquillitatem aut lædunt aut interturbant. Vtriusque ratio iustissima est. Prioris, quia innocentis proximi vitam quisque optimo iure potest defendere. Posterioris, quia vnaquæque Respublica ius habet, vt se suaque protegat, & tueatur.

LXVI.

*Distin. 45. c.
Qui semen.*

QVI verò neq; iura naturæ violant, neq; Reipub. pacem perturbant, nec possunt, nec debent prohiberi. Quocirca meritò quorundam studia improbat alicubi Beatus Gregorius, qui Neapoli Iudæos à quibusdam feriarum suarum solemnitatibus irrationabiliter nitebantur arcere, & quæ longis retro temporibus & ipsi & ipsorum parentes obseruassent, non licere amplius volebant, festiuitatum solennia colere.

LXVII.

SED tamen in prioribus istis non æqualis semper potestas est. Rempubicam perturbantes semper Ecclesia tollere potest: cædes hominum prohibere non potest semper. Tum demum potest: quando qui ad mortem rapiuntur, nullam mortis iustam causam dederunt: Quos vero morte dignos anteacta vita declarauit, hos vt supplicio extremo afficere crimen non est, ita Ecclesia prohibere non potest, vt hoc, vel alio mortis genere afficiantur.

LXVIII.

LXVIII.

PORRO inter tria hæc Iura, quæ in Religionis negotio Ecclesia apud Infideles habet, hoc discrimen est; quod in prioribus duobus nullam externam vim debeat adferre: In tertio illo, si admonitiones, exhortationes, indictæq; pœnæ non sufficiant, vim atq; arma liceat adhibere: & his vel ius suum, quod ad propriam Rempublicam defendendam habet, prosequi; vel innocentis vitam, quam unicuique proximorum Deus mandavit, à crudeli mortis genere vindicare.

LXIX.

ADde quod etiam in prioribus vis interuenire possit, atq; ad arma liceat descendere. tum scilicet, quando his, per quos Euangelium proponitur, molesti sunt Pagani: & vel fidem onerant blasphemijs, vel persequuntur Doctores: Quamquam hoc non est tam armis Euangelium propagare, quam armis ius suum, quod æquissimum habet Respublica, tueri & defendere.

LXX.

SIC Ecclesiæ prohibita arma non sunt contra illos, qui subiectos sibi populos impediunt, ne Christianorum Religionem, quam impensè desiderant, complectantur: propterea quod & hi ius, quod ad Euangelium omni Creaturæ prædicandum habet, violant.

LXXI.

ARNA quoque contra eos permessa sunt: possunt proscribi, possunt ditionibus pelli, possunt prohiberi aqua & igni, quicumque Christianæ fidei professoribus molesti sunt, iisque auitæ fidei relinquendæ quouis modo authores existunt. Quo iure Ecclesia suos in fide officioq; Christiani hominis continet; eodem in eos exilio, morte, proscriptione alijsq; pœnis aduertit, qui suos à fide & Christiana Religione auertere moluntur. Quod si in hoc casu aut nolit, aut non possit armis uti;

C 2

permit-

permittitur ipsi vel fideles Dominis Infidelibus eripere, & aliò transferre : vel Magistratu Infideles deturbare, & ipsorum loco fideles Principes subrogare.

LXXII.

ATQVE ex his capitibus Iustitia pœnarum proscriptio- nis, exilij, bonorum confiscationis; bellorum item, quæ pro fide propaganda contra Paganos (olim quidem ab inuictif- limis Imperatoribus, nostris vero temporibus a Catholicis Hi- spaniarum & Portugalliæ Regibus) suscepta sunt, perenda est. fuerunt hæc iustissima, si ad defendendum ius, quod Ecclesia ad fidem aut conseruandam aut propagandam habet, suscepta fue- runt. iniusta vero; si vt his rationibus ad fidem Religionemq; Christianam compellerent.

Finis primæ Disputationis.



QVÆSTIO SECVNDA
DE LIBERTATE RELIGIONIS, ET
FIDEI CHRISTIANÆ,

An qui se Christianos profitentur, in
 quauis, quæ hoc tempore Christiana
 fides & Religio dicitur, sint per-
 mittendi.

INTRO,

INTRODVCTIO

In secundam de Christianæ Religionis
Libertate Disputationem.

I. THESIS.

ALIA hæc de fidei Libertate quæstio propter
grassantes Hæreses instituta est: quæ cum sint multæ, &
variæ; & iam altas radices alicubi egerint, neque sine
gravi damno Christianæ Reipublicæ extirpari posse videantur;
præbent iustam, vt videtur, disputandi causam, Possitne libera
concedi vel permitti Fides; & in cuiusque potestate positum es-
se, cuius sectæ, modo illa Christianam Religionem profiteatur,
se se adiungendi.

II.

DE hac enim sola Libertate quæstio est; non illa, qua omni
Religione Christiana abiecta, & exulare iussa, Iudaismus
aut Paganismus suscipitur. Eò miseriarum nondum res Chri-
stiana deuenit (vtinam deueniat nunquam) vt, Vtrum cum his
quoque dissimulandum sit, disputare oporteat.

III.

AD Magistratum vero quæstio hæc imprimis pertinet, non
eos, qui Magistratus imperia excipiunt. Hoc ipsa, quæ in
quæstione ponitur vox, Permittere & Concedere, indicat. Quem-
admodum enim Præcipere, Prohibere, Punire, actus sunt legis:
& ob id superioris potestatis: ita Permittere & Concedere ad
potestatem superiorem pertinent.

IIII.

POTESTAS vero aut Ciuilis est, aut Ecclesiastica. In vtraq;
gradus sunt plures. Neutram in præsentî quæstione exclu-
sam volumus. Quærimus, vlliusne potestatis autoritate libera
Religio permitti possit, etiam Imperatoriæ, aut Pontificiæ.

V.

RES de qua disputatur, grauiſſima eſt. Nihil maius eſt Re-
ligione, inquit B. Ambroſius. Epist. 30. nihil ſublimius
fide. Non hic de fortunis atq; corporibus, ſed preſentiſſimo ani-
marum periculo, atque incolumitate agitur; quo quia grauius
in hac vita accidere non poteſt aliquid, imprimis Magiſtratuſ,
ne in hac cauſa ſalutis ſuæ curam negligat, prouidendum eſt.

VI.

PORRO licet quæſtio Magiſtratum concernat: ignorare
tamen neque debet neque poteſt Chriſtianus populus,
nullam ſibi, quantacunque etiam illa ſit, Magiſtratus autori-
tatem in hac re patrocinari. Vna enim eſt, quæ ſaluare poteſt
Religio; vna fides. quæcunque præter illam vnam eſt, quemad-
modum nec fides eſſe poteſt, ita nec poteſt ad ſalutem profi-
cere: quin imo certiffima ad perpetuas tenebras, & irrepara-
bile animarum detrimentum via eſt. Hoc, quia alias demon-
ſtratum eſt, hic reperi non debet.

VII.

IN eodem igitur quæſtionum genere eſt hæc de Libera Re-
ligione, in quo meretricium, uſura, atque his ſimilia: In
genere, inquam, malorum: quæ licet præcipi nunquam poſ-
ſint & defendi: poſſunt tamen quandoque permitti, maioris
ſcilicet boni cauſa; ſine damno quidem Magiſtratus ſuperioris;
at nunquam eorum, qui hoc Magiſtratus, vt ita dicam, extorta
licentia vtuntur.

VIII.

EX his quæ propoſitæ quæſtionis ſententia eſt, deprehen-
ditur. Quid poſtulet veritas, quia vna reſponſione expli-
cari ſatis nequit, ſequentibus Capitibus, quorum ſingulis vna
aliqua Aſſertio tribuitur, demonſtrandum erit.

SECUN-

SECUNDÆ DISPUTATIONIS
CAPVT PRIMVM.

Ex veteris Testamenti historia demonstratur Deo semper displicuisse multitudinem Religionum: semperque cauisse, ne præter vnã verã, alia esset apud suos.

IX. THESIS.

DISPLICERE Deo Libertatem fidei, & Religionum multitudinem ignorare non potest, qui quæ ipse in Religionis causa, siue per se, siue per suos; partim in veteri lege, partim in noua præstiterit, secum paulò altius repetere velit. A veteri initium instituiamus.

X.

PRIMVM omnium dubium non est, quin vna aliqua doctrina, fideque imbuerit primum humani generis autorem Adamum: dubium non est, quin vnã illam ab eodem posteros discere voluerit: quare probare non potest, si ab hac prima eius institutione recedatur, & alia, quæ cum illa non conuenit, Religionis ratio suscipiatur.

XI.

POST primum deinde humani generis propagatorem, veræ fidei præcipuos assertores in vna illa, quam à parentibus acceperunt Religione, summo semper studio confirmare conatus est; omniaq; quæ illam velladere, vel interturbare, vel in se-ctas distinguere potuerunt, auertisse videtur. Id in tribus Patriarchis
cum

*Genes. 12. &
sequentibus.*

cum profanis Idolorum cultoribus interdicta communio: inter suos, & non cum Infidelibus permiffa connubia: sermones familiares cum illis habiti: beneficia propemodum infinita: studium, quod ingenerauit, extruendi altaria: de propagando semine promiffiones: aliaque his similia (quibus, dici non potest, quantum ipsorum animos sibi deuinciebat, atque in vna illa à Majoribus accepta Religione, & fide continebat) abundè demonstrant.

XII.

Genes. 46.

POTVISSET forsitan sequentibus temporibus nonnihil, prosperiore fortuna, & prophanis Ægyptiorum ritibus, posterorum, id est Israelitarum Religio diffuere, & quippiam pati; sed hoc malum egregijs rationibus prohibitum est. Quibus verò? Primum voluit Deus, vt se pastores ouium dicerent: vt Ægyptij, qui pastores ouium non ferebant, eorum consuetudinem declinarent. Deinde voluit in terra Gessen ab alijs distincti suas sedes haberent. Denique reddidit Ægyptijs invisos, quibus rationibus effectum est, vt Deo in vera fide Religioneq; adhererent, Deum quærerent, & quidem tanto studiosius, quanto grauius ab hostibus affligerentur.

XIII.

Leuit. per totum.

EDUCTOS porro ex Ægypto, & iam quasi libertate donatos, alia ratione in vna illa & auita Religione & fide conseruare studuit. qua illa? quia tot illis tantasque leges, quæ partim diuinum cultum, partim pacem atque tranquillitatem externam promouerent, imposuit: vt videri possit illas non tam datas ad cultum diuinum piè, religioseq; exequendum, populumque in officio continendum; quam vt his occupato & distracto omnis via esset præclusa, vel de alia, præter illam, quam à Deo accepisset, Religione cogitandi.

XIIII.

Exod. 20.

SED & ipse modus, quem in danda lege Deus seruauit, populum constantiæ atque fidelitatis admonere poterat; & prohibere quamcumq; aliam Religionem. Quid enim opus fuit quadra-

quadraginta dierum spatio, quibus lex data? cur tot prodigia & portenta circumfuso populo, quando lex danda, exhibita? sunt hæc grauissima argumenta, quæ olim datæ legis populum commonefacerent; docerentq; in illa sola permanendum, quæ tot signis & prodigijs esset confirmata.

Exod. 20.

XV.

HVC facit memoria, quam præceptorum suorum iugem esse voluit. Erunt, inquit, verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filijs tuis: & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens & confurgens: & ligabis ea, quasi signum in manu tua: eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ.

Deut. 6.

XVI.

FACIT quoq; huc firma, quam præceptorum esse voluit, integritas. Noluit accessione augeri; noluit imminui subtractione. Integerrima esse voluit. Nihil, inquit, addetis ad verbum, quod vobis loquor: nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis, &c. quid ita? quia si etiam in litteris & syllabis venenum latet B. Hieronymo, & illæ seminarium discordiæ fidei & Religionis esse possunt; profecto quando omnem additionem, atq; subtractionem ad legem suam prohibet Deus; vult esse integerrimam, vult esse vnam, vult nulla varietate adulterari.

Deut. 4.

Hieronymus
Damaso

XVII.

HANC causam esse puto, ob quam idem Deus voluerit, vt cultus diuinus illius populi, quam paucissima haberet cum alijs quibuscunque Religionibus communia: ne similitudo rituum exterorum à tradita semel Religione ad profanas superstitiones auocaret.

XVIII.

ITAQVE noluit in sacrificijs offerrent mel & fermentum; quorum vsus erat in sacrificijs Idolorum: offerrent autem

D

turtures

Vide S. Tho-
mam 2. q. 92.
ar. 2. 3. 4. 5.
&c.

turtures, columbas, & passeris, quæ ibi respuebantur. Noluit adeps victimarum vel in vsum cederet Sacerdotum, vel populi; sed rotus igni absumeretur, quod contraria consuetudo apud Idololatrias esset. Noluit vescerentur certis auibus, certis piscibus, certis terrestribus animalibus, fructibus primitiuis, hædo cocto in lacte matris. Noluit induerentur veste ex lana & lino confecta. Noluit alligarent os bouis triturantis. Noluit ararent in boue & asino; quod hæc apud alterius Religionis professores vsitata essent. Voluit autem effunderent sanguinem hostiarum ad altaris crepidinẽ; vt in hoc ab Idololatriis, qui eundem bibe- bant, distarent. Voluit in templo orantes se ad Occidentem conuerterent; cum contrarium facerent Idololatræ. Voluit al- tare holocaustorum, in quo à populo sacrificia offerebantur, con- tra gentium consuetudinem extra tabernaculum esset.

XIX.

Exod. 34.

QUID est, quod toties, tanto verborum apparatu, tam grauib; propositis supplicijs, & diris, omnis cum gen- tibus consuetudo interdicitur, & matrimonia prohibentur? Discere sic poterat populus, non tantum prohibitas sibi fuisse profanas gentium superstitiones; sed quoque intelligere summè commendatam vnã illam, quam à Deo optimo maximo olim accepisset, Religionem.

XX.

Leuit. 8.

ET quia pluralitas capitum discordis Religionis causã es- se solet, hominumq; studia disturbare; ne ex hac etiam parte Religio aliquid pateretur, & in sectas abiret, sapientissi- mè prouidit. vnũ omni tempore apud suos caput esse voluit; vnũ summum Sacerdotem, cui ius diuinum commendatum es- set, & qui vnitatem Religionis saluam inuiolatamq; custodiret.

XXI.

SIC

SIC vnum voluit esse templum, ad quod, vbicunque terrarum versarentur, confluerent Iudæi. Verendum enim erat, ne si templa plura essent, cultus diuinus variaretur; & quem vnum eundemque esse perciperet, hominum vitio dissiparetur; & ipsam tandem Religionem diuideret & distraheret.

Exodi 23.

XXII

AD idem templum voluit quotannis accederent ex singulis orbis partibus, vbi degere potuerunt, Iudæi: non idcirco tantum, vt sua Deo sacrificia litarent; verum etiam vt in vna auita Religione conseruarentur: & in illa sibi perseuerandum discerent, quam profiterentur illi, apud quos Deus summam Religionis esse voluisset.

Ibidem.

XXIII.

HÆC causa est, cur tantoperè à falsis Prophetis cauendum docet: cur tam grauibus in ipsos pœnis aduertit: cur extremo supplicio dignos censet. Quia, scilicet, hi sunt, qui ab vno illo veroque Dei cultu misellos ad suas superstitiones deducunt; & præcipui duces atque autores diuersarium Religionum esse solent.

Deuter. 13.

XXIIII.

DELIQVIT aliquando populus in deserto; & moram Moysis in monte cum Deo conuersantis pertæsus, Deos, quos non coluerunt Patres, sibi fecit, erectumque vitulum adorauit. Indignitate facinoris commotus Deus, nisi obstitissent preces Moysis, grauissimas ab vniuerso populo exegisset pœnas. Sed tamen perpetrati peccati memoriam apud ipsum voluit esse perpetuam: & grauitatem criminis miro & iniustato rubræ Vaccæ sacrificio (quam totam cum pelle, sanguine & fimo ignis consumeret) refricari. Quamobrem quæso? vt hac ratione admoneretur in vno illo cultu, quem à Deo accepisset, esse sibi persistendum: & nuncium quibuscunque superstitionibus remittendum.

Thom. 12. 9.
102. art. 5. ad

5.

XXV.

ANIMADVERSI^o quoq; in eos, & de jis grauiſſima ſumpta ſupplicia, qui vel leuiſſima occaſio diuidendæ Religionis eſſe potuerunt, declarant hanc Dei voluntatem eſſe, vt vnitas Religionis ſancta ſit. Exemplo ſunt Mambres & Iannes: Nadab & Abiu: Core Datan & Abiron: ſoror Moyſis Maria. quorum conatus, ſi fœlices ſucceſſus habuiſſent, non medio- criter Religionis integritatem violaffent.

2. *Timoth.* 3.*Leuit.* 10.*Numer.* 16.*Numer.* 12.

XXVI.

HÆC diuinæ voluntatis argumenta populus Iudæorum habere potuit, quo tempore incertis ſedibus per deſertum vagabatur. Poſtquam vero ſedes fixit, præſentiſſima, grauiſſimaque vltio, quæ ipſum, quamprimum à priſca fide declinauit, diuinitus ſecuta eſt, commonefacere potuit; vt olim, ita tunc quoque in vna Religione perſiſtendum eſſe. In hoc genere ſunt graues ſeruitutes ſub Rege Meſopotamiæ annorum octo: ſub Rege Moabitarum, annorum octodecim: ſub Rege Canaan, annorum viginti: ſub rege Madian annorum ſeptem: ſub Philiftijs, nunc octodecim, nunc quadraginta annorum, vt Iudicum hiſtoria docet.

Iudic. 3.*Iudic.* 4.*Iudic.* 6.*Iudic.* 10.*Iudic.* 13.

XXVII.

SA^VL tentauerat (& quidem, vt exiſtimabat, neceſſitate compulſus) ſacerdotum munus obire, & Deo ſacrificium offerre. Quia verò res mali exempli erat, iuſq; Religionis lædebat, graues Deo pœnas perſoluit.

1. *Reg.* 13.

XXVIII.

SA^LOMON ſummis beneficijs à Deo ornatus fuit, & iam egregiam ſibi apud exterarum gentium laudem comparauerat. Verum poſtquam vna ſpreta patris ſui Religione, in gratiam, quas perditæ amabat, concubinarum, alias admittit: à gratia Dei excidit: priori gloriæ turpiſſimam notam inuſit, & florentiſſimi regni maximam iacturam in filio fecit,

3. *Reg.* 11.

XXIX.

IERO-

IEROBOAM Salomonis regni parte sibi vsurpata, cum regno Religionem dissipauit: altare contra altare, templum contra templum erexit. Verumtamen non impunè. Propheta voce arguitur; & superuenturam in se horrendam Dei vindictam, primum quidem ruptum altare, effusique cineres; deinde quæ subito exaruit, manus sufficienter testata sunt. *3. Reg. 2.*

XXX.

LONGVM est singula persequi. Placere vnam, simplicemque fidem, atque Religionem probant David, cuius pro tuenda à Deo tradita Religione, diuinoque cultu, singularis virtus in pulcherrimo, quem in sacris hominibus obseruari voluit, ordine enituit: Ioas, qui templum, duorum Principum superiorum impietate neglectum, & per Athaliam ferè dirutum, restaurari curauit: Ezechias, quem sacrae litteræ, ob restitutam priscam Religionem, quæ per superiores Reges misere fuerat dissipata, commendant: Iosias, qui iuxta omnem legem Moyfi ad Dominum in omni corde reuersus dicitur: Matathias cum filijs, quorum incredibilis pro patria Religione, virtus prædicatur. *1. Paral. 23. 4. Reg. 12. 2. Paral. 30. 4. Reg. 22. 1. Machab. 2.*

XXXI.

SIC graues increpationes Salomonis, Achab, Amasia, Manassis aliorumque complurium Iudæ atque Israël Regum damnant quamcumq; quæ cum vna non consentit Religionem.

XXXII.

FORSITAN leuia quis hæc arbitratur ad vnam Religionem asserendam: propterea, quod omnibus his non diuersa Religio damnatur, sed Idololatria iubeatur exulare, quæ à Religione, quæ hoc tempore alia atque alia postulatur, quam longissimè distat. Verum quod asseritur, argumentum non euerit. Quæritur enim, vtrum præter vnam Religionem, alia aliqua sit permittenda. An verò illa apertam Idololatriam contineat; an eandem simulet, ad propositum facit nihil. Omnibus verò modis cauisse semper visus est Deus, ne præter vnam illam, quam ipse fundasset, alia esset.

XXXIII.

DEINDE, quæ allata sunt probant Deum veram Religionem postulare, vrgere, imperare: & præter veram, nullam aliam permittere: cum igitur non nisi vna sit Christiana Religio vera, eo ipso, quo veram Religionem vrget Deus, damnat quamcunque contrariam.

XXXIIII.

TERTIO: Esto, apertam Idololatriam non contineant, quæ hodierna die sectæ vigent, & vnam illam, veramq; Religionem non profitentur: sed tamen easdem non minus Deo inuisas esse, extra omnem controuersiam est: maioribus verò etiam pœnis dignas, Ciuilia simul, & Ecclesiastica iura, & grauissima, in ipsas constituta supplicia demonstrant.

XXXV.

QVID, quod ab Idololatriæ crimine omnes illas, quæ cum vera Religione pugnant, excusare sit difficillimum? An potest maior iniuria Deo Optimo Maximo inferri, quam (quod necesse est in omni falsa Religione accidere) mendacij eundem arguere: & cum ipse vnam tantum, quæ saluare possit, velit esse Fidem, asserere præter vnam illam, aliam esse? atque dicere illa dogmata Orthodoxa esse, Catholica, atque Christiana, quæ ille impia, profana, atque Antichristiana iudicauit? Si non errauit Tertullianus, ab Idololatriis non differunt sectarij Hæretici: vt qui eiusdem sunt authoris & operis: & si Dionysio Alexandrino creditur, grauius scelus est Ecclesiam scindere, quam Idolis sacrificare. Vide Eusebium libro sexto, capite trigesimo septimo.

De præscquoque
s. 40.

DISPUTATIONIS SECVNDÆ

CAPVT SECVNDVM.

Ex

Ex noui Testamenti libris docetur Libertatem Religionis non esse admittendam, sed vnã tantum retinendam & defendendam.

XXXVI. THESIS.

ARGVMENTA, quæ contra Fidei Libertatem, pro tuenda vna Catholica, Christianaque Religione, ex Noui Testamenti libris, & Apostolicis Actibus desumuntur, partim diuina, & grauissima Christi autoritate nituntur; partim testimonio irrefragabili Apostolorum, & eorum, qui sacras literas posteritati tradiderunt.

XXXVII.

PRO Christi voluntate non pauca sunt. Primum est, quod non aliam in suo regno, id est inter fideles, Fidem probet, quam illam, qua totum mundum suo aduentu primum illustrauit. Hanc verò esse vnã tantum, & non plures, nemo ambigit. Vnus Deus, inquit Paulus Orosius, vnã fidem tradidit: vnã fidem toto orbe diffudit. Hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit: quolibet se quisquam nomine regat; si huic non sociatur, alienus; si hanc impugnat, est inimicus. & pulchrè Hilarius ad Constantium Imperat. Quidquid, inquit, præter vnã Fidem est, perfidia est. Sed iam alias à nobis hoc argumentum copiosè tractatum est.

XXXVIII.

ALTERVM argumentum est, quod ab ijs attendendum doceat Dominus, qui in vestimentis ouium veniunt, & intrinsecus sunt lupi rapaces. Luporum nomine *Matth. 7* non Infideles, & à fide Apostatas; qui aperte lupum produnt; sed sectarios, diuersarumque Religionum studiosos, qui

qui oves simulant, intelligendi sunt. Cur verò ab his attendendum hortatur? Quia, non vult Fidem nostram ab ipsis periclitari; non aliam, quam vnam, à Christiano populo vult coli & obseruari Religionem.

XXXIX.

TERTIVM est, quod Regnum suum velit esse æternum.

Matth. 16.

Et hoc olim quidem à Prophetis prædictum est: sed tamen postremò ipsi Petro facta promissio clarissimè demonstrat. At cum Religionum discordia, & pluralitate impossibile est Regnum consistere. Omne, inquit Dominus, Regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

Luca. 11.

XL.

QVARTVM est, quod pacem, concordiam, & animorum vnionem inter suos imprimis requirat. Hinc est, quod

Isaia 9.

2. Corinth. 13.

Luca 1.

Matth. 10.

Matth. 5.

Ioan. 20.

à Propheta dicatur Princeps pacis: ab Apostolo verò pacis & dilectionis Deus. sed & tempore summæ pacis mundum ingreditur. In aduentu ipsius pacem Angeli annunciant. Mandat suis, vt pacem optent omnibus, ad quos Euangelium prædicaturi diuertunt. Pacis autores docet compellandos filios Dei. In morte pacem inter Deum & mundum componit. Post mortem identidem suis pacem precatur: &c. Ante fortè cum Religione discorde Pax consistit? Hactenus nunquam constitit, Non constat modò. Non constabit futuris temporibus vnquam.

XLI.

QVINTVM est, quod vnum velit habere Ouile gregis sui, vnumque Pastorem. Alias oves, inquit, habeo, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt sit vnum Ouile, & vnus Pastor. at vnitas Ouilis non á loco; sed à dogmatibus, quæ multi profitentur: ab vnitate legum, quibus reguntur; ab vnitate Religionis, quam tuentur, dicitur: cui tum demum vnus pastor præfectus est, quando in Fidei Religionisq; negocijs vna est Pastoris ouiumque sententia.

Ioan. 10.

XLII.

XLII.

SEXTVM est, quod vnum designarit, qui fratres confirmaret, si à Satana, in Fidei præsertim negotio impugnentur. At si plures fides permittendas iudicasset; non erat designandus vnus, à quo confirmarentur, sed plures; si tamen omnibus consultum voluit Dominus.

Luc. 22.

XLIII.

SEPTIMVM est, quod velit suos esse prudentes sicut serpentes: qui vt caput saluum & integrum conseruent, totum corpus ictibus obijciunt. Caput nostrum, nostra in Christum Fides est. Omnium potius, quam huius, iactura facienda est. Si vero in Ecclesia sua dissentientem Fidem permittendam iudicasset; quomodo satis prudentes, quemadmodum serpentes, esse potuissimus?

Matthæi 10.

XLIIII.

OCTAVVM est, quod asserentibus hîc vel ibi Christum esse; esse in deserto, vel penetralibus; nulla ratione velit fidem accommodandam. Iam vero diuersis locis Christum constituunt, qui alias atque alias sectas, sub vno Christianæ Fidei nomine prædicant. Si vero non his assentiendum iudicat Dominus: volet locum habere in suo regno?

Matthæi 24.

XLV.

NONVM est, quod fructum passionis suæ desideret non perditum iri, sed optimè cupiat esse collocatum. Verum Spiritu sancto instructus Cayphas (erat enim tum Pontifex) prædixit Christum moriturum esse, vt filios Dei, qui erant dispersi, in vnum congregaret. Sed profecto in vnum congregabit nunquam, si diuersam vel probet, vel permittat in regno suo Religionem.

Ioann. 11.

XLVI.

DENIQUE, quia Spiritus Sanctus spiritus Christi vocatur; non dubium, quin quæ Spiritus opera sunt, perfici velit Christus. At opus Spiritus (vt Ecclesia cantat) est, per diuersita-

Roman. 8.

E tem

tem linguarum gentes in vnitate Fidei congregare. Qui igitur vnitatem Fidei violant, & dissentientes in Fide doctrinas probant; in hac re Christi voluntati resistunt, & operibus Spiritus sancti iniuriosi sunt. Hæc pro Christi sententia,

XLVII.

NON pauciora Apostoli ad hanc rem confirmandam argumenta subministrant. Primum dubitare non debemus, quin vnam ipsi Fidem vniuerso orbi annunciarint, illamque omnibus ad salutem prorsus necessariam esse docuerint. Quamcumque ergo aliam, quæ cum hac non consentit, iudicarunt falsam, perniciosam, & in Christi regno non admittendam.

XLVIII.

DEINDE, quid est, quod in vniuersum orbem dispergendi, vnam Fidei formam (Symbolum Apostolorum dicimus) descripserunt? eamque omnibus communem esse, quocumque diuerterent, voluerunt? Quia voluerunt vbiq; sibi consentiens esset Christi doctrina; non in vna tantum domo atque familia; non in vna solum ciuitate, atq; Prouincia; sed in amplissimo quoq; terrarum orbe. Dissidentis Religionis & Fidei acerrimi hostes fuerunt.

XLIX.

Matth. 10.

PRÆTEREA pacem omnibus, ad quos diuerterunt, annunciauerunt. (neque enim eos Domini mandatum pretermisisse putandum est.) Qui vero pacem vbiq; annunciauerunt; contrarias in fide sententias, quæ pacem dissoluunt, & tollunt; aut prædicassent, aut permittere potuissent.

L.

Galat. 1.

SVMMVS ille gentium Doctor S. Paulus egregiè, locis omnibus, & acerrimè vnam, sinceram, atq; incorruptam vrget fidem. Idem vbiq; diuersam anathematibus & diris persequitur. Hinc ille voces, Licet Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Si quis
euan.

euangelizauerit vobis, præter id, quod accepistis, anathema sit. Utinam abscindantur, qui vos conturbant.

Ibidem 5.

L I.

IDEM Apostolus nunc rogat Romanos, vt obseruent eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam didicerunt, faciunt, docetq; ab illis declinandum: Nunc obsecrat Corinthios per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, vt idipsum dicant omnes, & non sint inter ipsos Schismata; sint autem perfecti in eodem sensu, & eadem sententia.

Roman. 16.

1. Corinth. 1.

L II.

PORRO ad Titum scribens, sic ait: Hæreticum hominem, post vnã & secundã correptionem, deuota; sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Apud Timotheum vero hæc ipsius verba sunt. Si quis aliter docet; & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrine, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemie, suspensiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, &c.

Titum 3.

1. Timoth. 6.

L III.

QVID? in priori illa ad Corinthios Epistola, nonne tibi omnes angulos & aditus, quibus diuersa se Fides & doctrina ingerere potuit aut insinuare; obstruxisse videtur? Non vult à Magistris suis, & post Deum, salutis authoribus nomina fortiantur, & vel Pauli, vel Cephæ, vel Apollo dicantur. Improbat diuersos, quos in sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti perceptione obseruabant ritus. Non tolerat, quòd de collatis sibi beneficijs & gratijs efferantur, & superbi se alijs præferant. Vult omnia fieri honestè & secundum ordinem. Quamobrem vero? quia scilicet ad diuersos Magistros affectus, diuersarum Opinionum origo est: diuersi ritus Religionem diuidunt: ex diuinitus collatis donis nata gloriatio est seminarium dissensionum: & vbi in rebus diuinis perturbatus est ordo, nequit decor Religionis diu consistere. Hæc in priori Epistola ad Corinthios.

1. Corinth. 1.

1. Corinth. 10.

1. Corinth. 14.

LIIII.

2. Corint. 31.

AB hac voluntate in posteriori Epistola non discedit Apostolus: atque ut memoriae firmiter hæreret, sic concludit, De cætero, Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini: Idem sapite, pacem habete; & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

LV.

Philip. 1.

Ephes. 4.

Hebr. 13.

A Philippenfibus petit, ut siue venerit & viderit ipsos; siue absens sit; semper audiat, quod stent in vno Spiritu vnanimis. Ab Ephesijs postulat, ut solliciti seruent vnitatem Spiritus, in vinculo pacis: eo, quod vnum sint corpus in Christo, vnum, in quo tincti baptisma; vna, quam profitentur, omnibus fides; vnus, in quo spem suam omnem collocant, Deus. At Hebræos hortatur, ne patiantur se abduci doctrinis varijs & peregrinis.

LVI.

Philip. 2.

ADDE, quod summum hoc suum esse dicat, atque præcipuum desiderium, ut idem sentiant omnes; contrarias vero diuersasque in fide sententias procul abijciant. Si qua, inquit, consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum: ut idem SAPIATIS, eandem charitatem habentes, vnanimis, id ipsum sentientes, nihil per contentionem & inanem gloriam. Hæc omnia vnus Paulus.

LVII.

Ioan. 2.

CVM Gentium Doctore consentit discipulus, quem diligebat Dominus. Negat enim in domum recipiendos: sed nec Aue quidem dicendum vult ijs, qui aliam, præter vnã illam, quam Dominus in mundum importauit, doctrinam adferunt. Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in Domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus illius malignis.

LVIII.

1. Pet. 3.

NEC aliter sentit B. Petrus. In fide vult omnes esse vnanimis, qui verò alterius, quam vnus Fidei professores sunt

sunt, censet non solum non admittendos in Christi Ecclesia; sed grauiſſima quoque, quæ olim ipsis superuentura sunt, iudicia denunciat. Talibus autem coloribus describit eosdem, vt quiuis, nisi forte omni iudicio destitutus sit, quam longissimè à Christi grege arcendos esse intelligere possit. *2. Pet. 2.*

LIX.

ET B. Iacobus Sapientiam, quæ Zelum fouet amarum, *Iacob. 3.* & contentiones alit in Christianorum cordibus, (qualis est dissentiens Religio & Fides) docet non de sursum descendere, sed terrenam esse, animale[m] esse, Diabolicam esse. Propterea quod vbi Zelus & contentio : ibi inconstantia sit, & omne opus prauum.

*DISPUTATIONIS SECVNDÆ
CAPVT TERTIVM.*

*Ostenditur Liberam Variamq; Religionem
displicuisse semper Capitibus, & Ducibus
Christianæ Reipublicæ, omnibusq; rationibus
eidem obuiam itum esse.*

LX. THESIS.

DVCES Christianæ Reipub. siue Capita, duplicis generis sunt. Alijs Dei cultus & Ius Religionis commissum est : Alij Reipub. administrant; & publicam pacem, ciuiumq; tranquillitatem tuentur. Hos Magistratus Ciuiles; illos Ecclesiasticos dicere solemus. Vtrorumque autoritas in rebus omnibus magna est; non Humano tantum, verum etiam diuino iure: quare nec in præſenti negotio leue pondus habere debet.

LXI.

LIBERTATIS autem Religionis, & pluralitatis Fidei acerrimi semper hostes extiterunt, quicumque veræ fidei Af-

sertores veri esse voluerunt. Id partim sanctissimis decretis & sententijs; partim horrendis anathematibus, partim grauibus censuris, partim exquisitis supplicijs, quibus in diuersæ Religionis Autores animaduernerunt, demonstrarunt.

LXII.

Acto. 15.

QVOD dicimus historia temporum docebit. Exordium instituamus ab ijs, penes quos Religionis Ius constitutum fuit. Primo seculo, ipsis inquam Apostolorum temporibus, fuerunt, qui integritatem Religionis violare voluerunt, & cum vna à Christo tradita doctrina putauerunt coniungendam illam, quam à Moysè olim Maiores acceperant. Quid porro Apostoli? Congunt concilium. habetur magna inquisitio. demum re diligenter examinata, & definita, ad fratres, qui erant Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ, scribunt, censentque præter vnã Christianam, nullam Religionem, cultumq; admittendum esse.

LXIII.

Euseb. lib. 5.
capit. 21.

ALTERO seculo fuerunt Quartodecimani, siue Tesserescedecatitæ, qui præter consuetudinem priorum temporum, Traditione Apostolorum confirmatam, Pascha alio die, quam quo Seruator à mortuis resurrexisset, seruari voluerunt. Non potuit non maximarum discordiarum & dissipandæ Religionis secta hæc principium esse, & seminarium: quare magno studio conatus horum oppressi sunt per Antistites, partim in Palestina, præsidentibus Theophilo Casariensi, & Narcisso Hierosolymorum Episcopis; partim in vrbe Roma sub Victore; partim in Ponto sub Palma; partim in Gallijs sub Irenæo; partim apud Corinthum sub Bachillo.

LXIIII.

Euseb. lib. 6.
capit. 43.

TERTIO seculo Nouatianus extitit, Presbyter Romanus. Hic quoque suam, quam inuehebat, liberam esse cupiebat doctrinam. Verum voti compos factus non est. Duobus Romæ congregatis Concilijs sexaginta Episcoporum suffragijs, & multorum sacerdotum atque Diaconorum sententia exclusus est.

LXV.

LXV.

QUARTO seculo præcipuè pro Religionis Libertate pugnatum est, omnesq; machinæ admotæ sunt ab Arianis, vt ipsorum quoque locum in Christiano orbe haberet. Non defuerunt qui hanc promouerent Imperatores: non Episcopi toto mundo dispersi. Sed nec defuerunt, qui vnitatem Christianæ Religionis defenderent. Trecenti decem & octo Episcopi in vna Nicæna Synodo hanc Libertatem damnauerunt, & in Christi regno non nisi vnam Catholicam atque Apostolicam doctrinam esse voluerunt: Vt illos interim omittamus, qui in Prouincialibus Synodis Romana, Antiochæna, Arelatensi, Colonienfi, Hierosolymitana, Syrmienfi, & Laodicensi pro vna fide retinenda decertarunt.

*Sozom. lib. 1.
capit. 17.*

LXVI.

FVERVNT eodem seculo Macedoniani, à Macedonio vrbis Constantinopolitanæ Episcopo sic dicti. Non tuebantur hi eandem cum Christi fidelibus de Spiritu sancto sententiam; & tamen sibi in Christiana Rep. locum aliquem, & suæ Religionis liberum exercitium postulabant: Verum, vt in Chronico testatur Prosper, 180. Episcoporum sententia damnati & proscripti sunt.

*Theod. lib. 5.
capit. 19.*

LXVII.

QUINTVM seculum multo fuit fertilius; pluresq;, quam priora, Religiones, sectas atque fides obtrusit. Magnam imprimis impressionem fecerunt, qui Origenis dogmata sequebantur, & Origenistæ dicti sunt. Non fuerunt minus importuni Donatistæ. Admouerunt quoque machinas suas Pelagiani. Vferunt & negocium suum pro duabus Christi personis Nestoriani. Eutychiani in duodecim sectas diuisi, quasi duodecim diuersis exercitiis Christianam vnitatem conuellere nicebantur. Verum omnibus est itum obuiam. Vnam tantum fidem Magistratus Ecclesiasticus iudicauit esse admittendam. In Concilio Alexandrino iussus exulare Origenes. In Mileuitano, cui interfuit B. Augustinus, Donatus. In Carthaginensi, consensu Episcoporum 217. Pelagius. In Ephesino per ducentos Patres Nestorius. In Chalcedonensi, ex sententia Episcoporum 630. Eutiches.

*Vide Genes.
lib. 3. seculo 5.*

Idem

LXVIII.

*Platina in vi-**taipforum.**Lib Concil.**Diac. lib. 17.*

IDEM sexto seculo studium fuit Maiorum nostrorum. Hoc testantur Manichæi Roma eiekti à Symmacho & Hormisdæ Urbis Pontificibus : Ariani, quibus templa negavit Ioannes Thuscus primus eius nominis Pontifex, & carceris afflictione, ob vnicâ Christi fidem, quam tuebatur, extinctus. Anthemius Constantinopolitanus Episcopus, quem integritatem vnius Fidei violantem, & negantem B. virginem dici posse Deiparam, centum sexaginta quinque Episcopi in Secunda generali Constantinopolitana Synodo damnarunt.

LXIX.

Lib. Concilio.

VIGVIT septimo seculo Monothelitarum error: & quamvis potentissimos pro se Assertores haberet atque defensores: gravissimè tamen semper oppugnatus est, partim per sanctissimos Pontifices Martinum & Vitalianum: partim per centum quinquaginta Episcopos in Lateranensi, & ducentos octoginta novem in Sexta generali, Constantinopolitana tertia Synodo conscriptos.

LXX.

*Abb. Vsperg.**Lib. Concilio.**Lege Acta
Consil. Nicæ-
ni secundi.*

HOS deinde secuti sunt Iconomachi, duce Leone Imperatore. Potuisset fortè his locus in Christiana Rep. concedi; partim ob ducis & Capititis auctoritatem: partim quod non ita graviter Christianæ Religionis corpus lædere viderentur: sed tamen locus concessus non est. Non potuit Libera ipsis sua esse Religio. gravissimas persecutiones octavo & nono seculo experti sunt. Opposuit se Imperatori primum Germanus Patriarcha Constantinopolitanus à Leone postmodum Episcopatu deiektus. Deinde Oecumenius Magister Cœnobij Constantinopolitani, cum duodecim socijs, ab eodem Imperatore crudeliter combusti. tum Ioannes Damascenus, qui eo tempore tres libros Apologeticos contra Sanctarum Imaginum criminatores doctissimè scripsit. Præterea Gregorius Pontifex Romanus II. qui tam Imperatorem, quam eos, qui Imperatori adhererent Synodico Anathemate obstrinxit, ac tributo Romæ & Italiæ prohibuit: tandem Synodus Nicæna secunda, in qua omnibus Iconomachis Anathema dictum est.

LXXI.

LXXI.

INCEPIT sequentibus temporibus sensim in Ecclesiam irreperere Sacramentarium doctrina; & ubi suam operam eidem Berengarius locavit, in Gallia regno liberius spaciari, & vrbes occupare. Verum probata non est: admissa non est: omnibus locis atque angulis est expulsa. Berengarium admonuit primo Adelmannus Episcopus Brixienfis, rogans per Christum atque veterem familiaritatem, perque communis præceptoris sanctissimam memoriam, ne nouis rebus studeret, & schismatis in Ecclesia, dissentientisque doctrinae author esset. Scribunt ad eundem deinde Landfrancus Cantuariensis Episcopus in Anglia, & Guetmundus Auerfanus Episcopus in Apulia, & post, doctissimus Monachus Algerus. Cum vero horum preces, hortationes, autoritas nihil proficerent; à septem ordine Pontificibus damnatur; Leone IX. Victore, Stephano, Benedicto, Nicolao, Alexandro, Gregorio: vt omittam, quæ ad hæresin hanc profligandam & proscribendam celebrata sunt Concilia, Vercellense, Turonense, duplex Romanum, &c.

*G. Wilhel. A-
lanus de Eu-
charistia, lib.
1. cap. 21.*

LXXII.

LONGVM est singulorum studia, qui in hac re desudarunt, commemorare. Pro vna fide tuenda, atq; tenenda: & ad Libertatē Religionis damnandam faciunt, quæcunq; statuta sunt pœnæ & supplicia in eos, qui nouam aliquam doctrinam inuexerunt: quæcunque eos dignitatibus exuerunt, & omni potestate priuauerunt: quæcunq; cum talibus omnem nobis communionem & consuetudinem interdixerunt.

*Vide capit. 21
Disputat. de
Iure Missio-
nis.*

LXXIII.

SERVIT quoque nostro argumento Libertas atque constantia Sanctissimi Ambrosij Mediolanensis Episcopi. Mandat huic Valentinianus, à Iustina matre muliere Ariana persuasus, vt templum permittat Arianis, asserens, tunc pacem &

F

tran-

*Epistol. 33. ad
Sororem.*

tranquillitatem in Imperio futuram, si illis etiam, qui diuersæ sunt Religionis, suus sit locus, in quo Religionis exercitia habere possint. Mandat quidem Imperator: sed recusat Pontifex Ambrosius, & animi incredibilem constantiam liberrima Antistitis Oratio testatur. Rem ut accidit ex eodem Ambrosio libet ascribere. Postridie, inquit, quam accepi litteras tuas, moles inquietudinum grauium caput moueri; nec iam Portiana, hoc est, extramurana Basilica petebatur; sed Basilica noua, hoc est intramurana, quæ maior est. Conuenerunt me primo Principes virtutum, viri Comites, Consistoriani, ut Basilicam traderem. Respondi, quod erat ordinis, Templum Dei à Sacerdote tradi non posse. Postridie Præfectus venit, & cepit suadere, ut Basilica Portiana cederemus: populus reclamauit. Condemnationes ilicò grauisimæ decernuntur. Erant pleni carceres negociatorum, strident catenæ, imponuntur collis innocentum, honoratis multa minabantur grauisima, nisi Basilicam traderent: feruebat persecutio. Conuenior ipse à Comitibus & Tribunis, ut Basilicæ fieret matura traditio. dicentibus Imperatorem iure suo uti, eò quod in potestate eius essent omnia, Respondi, Si à me peteret quod meum esset, me non refragaturum: verum ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta. Videtis quanta subito moueantur: Gotti, arma, gentiles, multa mercatorum, pœna sanctorum: aduertitis quid iubeatur, cum mandatur, Trade Basilicam, Respondeo nec mihi fas est tradere: nec tibi accipere, Imperator, expedit, Domum priuati nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam? Iterum dicitur mandasse; Debeo & ego vnam Basilicam habere: Respondi, Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, non est legitimo Christi coniugio copulata. Denique etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me uiuo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi, ut impleas, quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod Spadonis. Hæc ex Ambrosio paucis hinc inde omisissis.

LXXIII.

LXXIII.

NON minus ad pluralitatem Religionum damnandam facit Exemplum Ioannis Chrysofomi. Permissum erat (teste Metaphraste) Arianis intra ciuitatem habere Conciliabulum, quod quidem multis fuerat causa, vt eodem, quo ipsi, laborarent morbo malæ opinionis. Oportunum itaque tempus nactus, quando Imperator (Arcadius nempe) ad sacrum venit, festo eum ad id vocante (erat autem dies Epiphaniarum) Dic mihi (inquit) ô Imperator. Si quis huic pulcræ & preciosæ (ostendens coronam, quam habebat in capite) quosdam abiectos, & obscuros lapides inseruisset, videretur ne tibi hoc esse tolerandum, & non tanquam vniuersa per illos afficeretur contumelia, ægrè tulisses? Cum is autem veritati sermonis annuisset: Quid vero, inquit, non existimas vniuersorum Regem irasci, si in pia ciuitate, quæ omnino rectè se habet, pars, quæ malè sentit, sinatur habitare? cum oporteat vel ab ipsis exigere vt conuertantur, vel si perseuerant, prorinus expellere? Hæc cum audisset Imperator, non distulit, nec est cunctatus, sed primos eorum statim accersit, & ex eis scire voluit, an in animum inducerent à fugienda desistere opinione; minatus exilium & bonorum suorum priuationem ijs, qui non parerent. Cum autem vidisset eos esse immedicabiles, minas deduxit ad effectum, & iussit eos expelli ciuitate. EADEM constantia vsus est aduersus Gainam Chrysofomus. Verum, quia exemplum hoc perspicuè docet nullum non periculum adeundum esse, pro vna solum tuenda & tenenda Fide, placuit ad longum hîc ascribere. Gainas quidam Scytha genere, animo barbaro, insolentia planè tyrannica, per id temporis Dux fuit: & non modo exercitui ex sua gente collecto, verum etiam vna Romanis tum equestribus, tum pedestribus copijs præfuit. Quem quidem non solum alij omnes, sed etiam Imperator ipse (quippe eum tyrannidem moliri suspicabatur) magnoperè extimuit. Iste labe aspersus Ariana, postulabat ab Imperatore vnum ex sacris templis sibi dari. Imperator autem respondet, se de ea re capturum consilium: & vnum ei curaturam promittit. Itaque diuino illo Ioanne ascerfite, ei

*In vita eius.**Theod. lib. 5.
cap. 32.*

F 2

postula-

postulatam Gainæ exponit. commemorat eius potentiam. moliri tyrannidem indicat. orat ut templo donato furentem eius animum placet. Cui nobilis ille vir. Ne, inquit, istud illi pollicere, neque sanctum dari canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum verbum sanctè & augustè laudibus & hymnis celebrant, expellantur è sacro templo; idemque tribuatur his, qui contrà eum loquuntur blasphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas Imperator; sed me, & illum in vnum locum conuoca, tuque silentio vtriusque nostrum sermoni ausculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum spero, persuasurumque ne postulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis Imperator vehementer lætatur; & postridie eius diei vtrumque accersit. Gainas quidem promissum exposcit; magnus autem Ioannes respondet ex aduerso, Non licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contrà res sacras temerè moliri. Cui quidem dicenti, Templum sibi dari oportere, respondet Ioannes. Templum sacrum apertum esse, neminemque eum prohibere, quo minus in eo, si libeat, Deo preces fundat. Tum Gainas: At ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum hominibus eius sectæ vnum sanctum templum habere postulo. Atque istud quidem non immeritò postulo: quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Ioannes, tibi propterea tributa labores tuos longè superant. Nam dux es, & honore consulari donatus. Quin etiam tecum debes considerare; quis fueris olim, & quis iam sis: quæ etiam præterita tua inopia, & in qua iam abundantia vitâ degas: Quibus quoque vestibus prius indutus esses, quàm Istrum traieceris; & quibus iam opertus. Complectere igitur animo, quam pauci sint labores, & quam ampla præmia: atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerunt, ingratus esse. Hac oratione habita, Ioannes celebris totius orbis terrarum Doctor os obturavit Gainæ, atque adeo obmutescere coëgit. Temporis autem interuallo interiecto Gainas tyrannidem, quam molitus fuerat, manifestè patefecit: atque collecto in Thracia exercitu, prædas agere, & multa loca vastare coëpit. Quibus rebus

cogni-

cognitis omnes cum Magistratus, tum subiecti metu exhorrescere. atque nemo erat, qui vel cum eo in acie configere animum induxerit, vel legationem apud eum obire se tutò posse existimarit. Nam barbarum eius & crudelem animum quisque suspectum habuit. Tum ab alijs timidis cunctis ad hunc fortissimum virum deuentum est: qui nihil moratus, neque prioris refragationis, neque natae ex illa discordiae memoriam, animo prompto hanc legationem in Thracia obiit: Qua re indicata Gainæ, recordatus ille, qua libertate, quondam pietatem defendisset, occurrit Ioanni, longo sane itinere, & manum ipsius applicuit oculis suis. Qui etiam liberos suos sanctis illius genibus admouit. Ita solet virtus percellere, & pudore suffundere etiam immitissimos. Haftenus Theodoretus Cyrensis Episcopus capite trigesimo tertio. *NB.*

LXXV.

FACIT huc quoq; obiurgatio Leonis Ss. Pontificis, qua Anatholium Episcopum Constantinopolitanum redarguit: quod Catholicis permixtos sinat viuere eos, qui aliam, quam vnam Catholicam profitentur Religionem. *Epist. 76.*

LXXVI.

FACIT, quod B. Augustinus Olympium Comitem exhortetur, vt Cæsaris leges in Gentiles atque Donatistas constitutas euulget; non aliam ob causam, quam quod cum Christi vna fide aliam consistere posse non putaret. Idem Augustinus laudat Imperatorem Theodosium, quod pijsimis legibus Donatistarum errorem maluerit corrigere: &, vt eiusdem verbis vtar, eos, qui contra Christum Christi signa portarent, ad vnitatem Catholicam terrendo & coecendo redigere; quam seuiendi tantummodo ijs auferre licentiam; & errandi ac peccandi relinquere. Idem docet non esse mente sobrios, qui Regibus dicunt, Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus, &c. *Epist. 129.*

F 3

HÆC

LXXVII.

HÆC pro Fidei Religionisque vnitatem Ducum & Patrum Religionis, sententia est. Adde, quod non minus fuerit studium Principum illorum, per quos pax & tranquillitas Reip. Christianæ administrata est. Rem paucis exemplis docemus.

LXXVIII.

*Euseb. lib. 3.
in vita Constanti.*

*Ruffin. li. 10.
cap. 5.*

CONSTANTINVS Magnus, cum iam profligatis, Gentium superstitionibus vnam Christi Fidem tuendum suscepisset: vereretur autem Schisma in Christiana Religione ex Arii dogmate, quod indies maiora atque maiora incrementa suscipiebat; quantum potuit in hoc incubuit, vt hi quibus Religionis Ius commendatum est, diuersæ Fidei authoribus obuarent. Itaque Episcopos Nicæam curauit aduehi, in itinere liberaliter tractari, & quo tempore, Nicææ degebant, commeatum victumque honesta & liberali mensura quotidie exhiberi. Exilium deinde omnibus minatus est, qui non vni Nicæni Concilij definitioni acquiescerent.

LXXIX.

*Niceph. lib. 9.
capit. 52.*

*Sozom. lib. 1.
capit. 20.*

NB.

IDEM Imperator damnatum Arium vna cum Eusebio & Theognide in exilium pellit. Idem lege lata Arianorum prelatoria aboleri iussit. Idem pœnam capitis in eos constituit, qui librum ab Ario conscriptum non ilico incendissent. Alibi verò, ipsis neq; priuatim neq; publicè conuentus agere licere; sed in vno communiter omnes loco conuenire voluit. Per quam legem, inquit Nicephorus, quantum ego colligo, multæ Hæreses memoria eorum sublata diffuxerunt.

LXXX.

IOVINIANVS à militibus Imperator postulatus, tum demum oblatum Imperium se suscepturum affirmabat; vbi omnes, qui ipsi atq; Imperio Romano militarent, vnius Christianæ Fidei professores se esse velle testarentur: sentiens cum diuersa Religione Imperij vires satis firmas esse non posse.

LXXXI.

LXXXI.

EANDEM Fidei atque Religionis vnitatem probarunt Theodosij: alter Senior, alter Iunior. Ille inductus precibus Amphilochoj Episcopi proposita lege Hereticorum conuen- tacula prohibuit: Hic Nestorium aliam fidem adducentem, & nouæ sectæ autorem exilio mulctauit.

Theod. lib. 5. capit. 16. Trip. lib. 5. cap. 37.

LXXXII.

A matre quoque Galla Placidia, Valentiniano item filio, & Licinia Eudoxa admonitus est idem Theodosius Iunior; vt Fidem, quæ tantis temporibus à sacratissimo Patre suo Constantino (qui primus in Imperio splendisset Christianus) culta fuisset, ipse quoq; quorundam impiorum arbitrio & odio perturbari ne pateretur; sed eorum turbis resistens veritatem immaculatam Fidei Catholicæ Religionis seruari præciperet: & prouideret, ne quod priscis temporibus Maiores sui custodissent, sub ipso imminui videretur.

Brunus lib. 3. cap. 9. de Hereticis.

LXXXIII.

DIVISAM Religionem dolens Martianus Imperator Chalcedone pro Religione restituenda hortatur Patres, meminert sui officij; & à Christi vna doctrina dissentientes sententias damnent. porro à Patribus semel definita, voluit ab omnibus teneri; asserens eos perfidiæ occasiones quarere, qui quæ semel definita, & rectè in Synodo disposita fuerunt, disputando reuoluunt.

Lib. Concil.

LXXXIIII.

IUSTINIANI Imperatoris idem pro vna Religione studium fuit. Vrgente Agapeto Pontifice, Anthemium Constantinopolitanum, quod Religionis vnitatem sacrilegè violaret, Episcopatu deiecit.

Lib. Concil.

LXXXV.

SIC Aurelianus Imperator armata manu ex Ecclesia curauit eijci Paulum Samosatenum. Sic exilio mulctauit Euty- chen Martianus. Sic tota Gallia Arianos proscripsit Clodouæus Rex Francorum, Hispania verò Alfonsus Rex Galiciæ: qui ob id etiam nomen Catholici sibi & posteris comparauit.

Euseb. lib. 7. ca. 25. Genebrardus.

LXXXVI.

*L. Nullus C.
de summa Tri
nitate & fide
Catholica.*

VALENTINIANI contra Religionis Libertatem, pro vna Fide, hæc extat Lex. Nullus Hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis demerentiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quodam rescripto, per fraudem elicitum, ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum Hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ. Vnius & summi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ Fidei dudum à Maioribus traditæ, & diuinæ Religionis testimonio atque assertione firmatæ obseruantia semper mansura teneatur. Et paulo post: Qui verò iisdem non inserviunt, desinant affectatis dolis alienum veræ Religionis nomen assumere: & suis apertis criminibus denotentur, atque ab omni Ecclesiarum limine submoueri penitus arceantur, cum omnes Hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus. At si quid eruptio factiosa tentauerit, ab ipsis etiam urbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus; vt cunctis Orthodoxis Episcopis, qui Nicænâ fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur.

LXXXVII.

*Theod. lib. 5.
cap. 2.
Sozom. lib. 7.
cap. 4.*

GRATIANVS Valentiniani filius à Valente homine impio, & crudeli Hæreticis Ecclesias concessas repetijt: & post vna cum Theodosio, quem Orienti præfecit, vnâ tantum, quam Petrus Romæ reliquisset, & tum temporis Damasus, eiusdem vrbs Episcopus profiteretur, omnes voluit tenere fidem; eosque solos qui hanc profiterentur, esse & dici Christianos; cæteros quoscunque pro vesanis & Hæreticis haberi.

LXXXVIII.

IVSTINVS Imperator in hæc verba pro vna Fide contra Religionis Libertatem ad Hormidam Pontificem scribit, Quid, inquit, gratius reperiri potest, quid iustius, quid industrius; quam quos idem regnum continet, idemque Fidei cultus irradiat: eos non diuersa contendere, sed collecta in iisdem
sensi-

senfibus instituta venerari, non humana mente illata, sed in diuinae prouidentiae spiritu?

LXXIX.

IDEM Iustinus, ad Eulalium Episcopum Carthaginensem scribens, primam ait esse salutem, custodire recte fidei Regulam, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Alibi verò hortatur Orientales, vt in vnam & eandem Ecclesiam conueniant, consentientes animis, in recta Christianorum sententia: auersantes autem eos, qui contraria dicunt, aut opinantur. Prima namque salus, inquit, hominibus omnibus constituta est ipsa recta Fidei confessio.

*Niceph. lib. 17
cap. 33.*

XC.

ZENO in professione Fidei suae ad Episcopos Alexandrinum & Aegyptios probat eorum studium, à quibus sibi cum lachrimis supplicatum fuit, vt vnionem in sanctissimis Ecclesijs fieri, & membra membris coniungi, quae honestatis & pietatis inimicus segregare est conatus, curaret: Ibidem illos, à quibus Supplicatio oblata est, vocat viros sanctos: Addit quoq; probè nosse pietatis atque honestatis inimicum, qui integro & coniuncto Ecclesiae corpori bellum inferat, victum se iri.

XCI.

CVM praecedentibus Imperatoribus consentit Carolus Magnus, quemadmodum ex Oratione ipsius ad Elipandum schismaticum Toleti Archiepiscopum licet colligere. Sic enim loquitur: Sequamur Sanctorum Patrum venerabilia in charitate praecipita. Decet enim, vt omnium Christianorum sit vna Fides, & vnus animus: sicut est vnum Ouile, & vnus Pastor. Qui verò extra Ecclesiastici ouilis septa inueniuntur, lupina rabie deuorabuntur: quia vocem boni pastoris non audiunt, qui ante suas oues ingredietur, & egredietur, vt eas ad pascua vitae reducat aeterna.

XCII.

CONSTITVTIO Frederici Imperatoris hic etiam locum habet. Is sic loquitur. Saenimus edicto in perpetuum valituro, vt Potestates, Consules seu Rectores, quibuscunq; fun-

G

gantur

*L. Statuimus
C. de Epi. aud.*

gantur officijs, pro defensione Fidei præstent publicè Iuramentum; quod de terris ditioni suæ subiectis vniuersos Hæreticos, ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quod amodo, quodocunque quis fuerit in Potestate seu Perpetuam, seu Temporalem assumtus, hoc teneatur Capitulum firmare iuramento: alioquin neq; pro Rectoribus habeantur, eorumq; sententias ex tunc irritas iudicamus & inanes.

XCIII.

ADIUNGIMVS his Leges Ciuiles, quibus quemadmodum nouorum dogmatistarum Clancularij Conuentus interdiciuntur; ita vna fides & consentiens Religio imperatur.

*Arcadius &
Honorio in L.
Conuent. C. de
Epif. & Cler.*

Prima est. Conuenticula illicita, etiam extra Ecclesiam, in priuatis ædibus celebrari prohibemus, proscriptionis domus periculo imminente, si dominus eius in ea clericos noua ac tumultuosa Conuenticula, extra Ecclesiam celebrantes, susceperit.

*In l. Cuncti
Hæretici C. de*

2. Interdicatur Hæreticis omnibus, nocte vel die profanis coire Couentibus; statuta videlicet condemnatione centum librarum auri, &c.

Hære. & Manich.

3. Nemo in Religionis disputatione Hæreticis, vel habendi Concilij gratia, in ædibus, aut suburbano suo, aut quolibet

Theod. & Valen. in L. damnato. de Hæret. & Manic.

alio loco Conuenticulū, clam aut aperrè præbeat. Quos omnes cœtus celebrandi licentia priuari statuimus, scientibus vniuersis, violatorem huius legis publicatione bonorum esse coercendum.

Instinia. in E. dicto de fide ad Constantinop. quod est in editione Holoan. sub num. 132. Constitutionis.

4. Hæretici, dum neque Dei timorem mente concipiunt, neque per legum seueritatem interminatas eiusmodi hominibus pœnas reputant in animo, & nonnullos è simplicioribus decipiunt, præter morem sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Conuenticula atque Baptismata clam concelebrant: pium arbitrati sumus per præsens nostrum Edictum tales cohortari, vt & ipsi ab hæretica desciscant insania, neque aliorum animas per fraudem deducant in interitum: sed potius ad sanctam Dei accurrant Ecclesiam, in qua nihil antiquius habetur rectis dogmatibus, & omnes hæreses cum ipsarum ducibus percelluntur anathemate. Quin vniuersos volumus cognoscere, quod si de cætero inueniantur aliqui, qui improbato more ita Conuenticula

cula agitauerint, aut ad ea conuenerint amplius, eos non tolerabimus: sed tam domus, in quibus tale aliquid peccati perpetratum fuerit Sanctæ addicemus Ecclesiæ, quam ijs, qui ita peruerso more Conuenticula egerint, quiq; ad eos conuenerint, Constitutionum pœnas omnibus inferri modis iubemus.

5. Hæretici parasynaxes & Conuenticula tam diurna quam nocturna non contrahant, neq; ad domum vel possessiones cuiusque, neq; ad monasterium, vel quemcunq; alterum locum operaturi, sectæ funestissimæ congregentur. Quod si fecerint, & hoc factum fuisse domino volente constiterit, post rem in examine iudicis approbatam, domum vel possessionem eius in qua conuenerint, vel Monasterium, eius ciuitatis Orthodoxæ Ecclesiæ, in cuius territorio est, iubemus addici. Si vero ignorante domino, sciente vero eo, qui pensiones domus exigit, vel actore, vel conductore prædij parasynaxes, & Conuenticula interdicta collegerint: conductor, vel procurator siue actor, vel quicumq; eos in domum vel possessionem, vel monasterium receperint, ac passi fuerint illicitas parasynaxes conuentusque celebrari, si vilis ac abiectæ sint conditionis, fustibus publicè & in pœnam suam, & aliorum coerceantur exemplum. Si honestæ vero sint personæ, decem libras auri, mulctæ nomine, fisco nostro cogantur inferre. Nulli insuper cuiuscunq; nominis Hæretico, publicæ vel priuatim conuocandi cœtus, vel circulos contrahendi, & de errore Hæretico disputandi, ac peruersitatē facinorosi dogmatis adferendi, tribuatur facultas. Eos itaq; qui discendi studio adierint, de infausta hæresi disputantes, decem librarum auri, quæ fisco nostro inferendæ sunt, iubemus subire dispendium.

6. Nemo Conuenticula, collecta multitudine, in qualibet parte ciuitatis, vel vici, vel cuiuscunque loci colligere ac celebrare conetur, &c. Sciant sane omnes, quod si quis contra huius Edicti normam aut agere aliquid, aut seditioem mouere tentauerit, ultimo supplicio subiacebit.

Vide Auream Bullam Caroli eius nominis IIII. vbi iam dictis similia habentur.

Valentin. &
Martian. Imp.
A. A. in l.
Quicumq; C. de
Hæreticis &
Manichæis.

Martian^o in L.
Denunciamus
C. de his, qui
ad Eccles. con.
fugiunt.

SECUNDÆ DISPUTATIONIS
CAPVT QVARTVM.

Docetur Liberam Religionem turbare pacem & tranquillitatem Reip. Christianæ; & cum grauissimis semper tumultibus coniunctam fuisse, atque vbiq; summæ crudelitatis exempla reliquisse.

XCIII. THESIS.

LIBERTATEM fidei atque Religionis pacem & tranquillitatem Reipub. Christianæ turbare, partim ex iudicio Orbis Christiani, partim ex rerum præteritarum historia, partim ex calamitate præsentium temporum quam Religionis Libertas attulit, partim ex natura atq; conditione discrepantis Religionis manifestum est.

1
2 3 4
5

XCV.

IVDICIUM Orbis Christiani omnium hominum consensu, imprimis verò Capitem Ecclesiæ nititur. De quo, quia ex præcedentis Capitis enarratione constat, non est quod hîc longiorem orationem instituamus. Certum est omnes, non ob solam pacem & Reipub. tranquillitatem tuendam; certè ob pacem & tranquillitatem, Liberæ & peregrinæ Religionis acerrimos semper hostes extitisse.

XCVI.

HISTORIA præcedentium temporum & multa, & horrenda exempla suppeditat. Nulla fuit vnquam secta; Religio nulla, quæ, vbi aliquem locum apud Orthodoxos habere cœpit, non statim in apertam barbariem atque tyrannidem degenerauerit, miserè Christianam Rempub. lacerauerit, cœlumque terramque miscuerit.

XCVII.

EXEMPLO sunt Ariani. Principio eorum conatus tolerabiles; sed tamen semper acres. Sub Constantio Constantini filio ubi vires maiores acquisuerunt, plus insolere cœperunt. Sub Theodosio ædibus sacris expulsi, extra urbis mœnia, Ecclesias conuentusque suos agebant. Prius autem nocturno tempore (vide, ut omnia ad Rempub. perturbandam spectant) in publicis porticibus congregati, atque in choros segregati carmina quædam sibi inuicem respondentia, antiphonarum modo ad Hæresis suæ placita accommodata, concinnè canebant; & noctem multam in eiusmodi psalmodia consumebant. Sub aurora autem publicè ea concinentes extra urbem in ea, ubi Ecclesias habebant, loca procedebant. Postea vero cantus tales (ut ex vnguibus leonem deprehendas) ad contentionem insticuebant: Vbi nam sunt, dicentes, qui Trinitatem eiusdem substantiæ, & eiusdem honoris colunt? Hæc & alia, inquit Nicephorus, verba carminibus aspergebant. Demum ubi Ecclesias occupare cœperunt, dissidium ubique implacabile excitatum est. Quis Episcopos eiectos commemoret? quis tēpla vi occupata? quis innocentium exilia? cædes? deuastationes? Quis populorum tumultus? Propemodum omnem fidem superant, quæ de ipsorum atrocitate atque petulantia referunt Authores. Vidit Victor in Affrica immensam Catholicorum multitudinem in angusta & teterima loca, alium super alium, ut locustarum agmina, coarctasse Hunericum Regem: & quia secedere ad naturale officium ibi ratio non sinebat loci, necesse fuit, ut stercoreum atque vrinarum fœtore miserè perirent. Visi sunt ibidem alij sine manibus, alij sine oculis, alij absque pedibus, trunci naribus auribusque. Aliorum caput, quod eminere solebat, in medio scapularum consistebat, ob diuturnum quod in altis ædibus, funibus ad manus ligatis, sustinere debuerunt in aëre suspendium? Quid multis? Adeo crudeliter in Christianam Rempub. debacchata est Hæresis Ariana, ut cuius, quæ tamen intolerabiles fuerunt, superiorum persecutionum, vel temporis diuturnitate, vel suppliciorum magnitudine comparari possit,

Niceph. lib. 13
cap. 8.

Niceph. lib. 8.
cap. 11.

Lib. 2. de per-
sec. Wanda-
lica.

Victor lib. 2.
de pers. Wan-
dalica.

Vide Athana-
sium epist. ad
Solitorios.

Nazîa. in vi-
ta Athanas.

*Niceph. lib. 9.
cap. 24.*

A Macedonianis quoque, qui Arianos secuti sunt, nouamque Religionem cupiebant, miserè Respub. turbata est, & horrenda in Orthodoxos edita exempla. Quoniam, ut Nicephorus habet, eos crudeliter persequebantur, qui ipsorum communionem vitarent. In vincula conijciebant inuitos: multos Religione præclaros pulsabant: & fuste eorum ora deducentes, inuitis sacra mysteria ingerebant. Ad eundem modum mulieres, atque pueros, qui de rebus sacris nondum instituti essent, aut baptizati, arripientes, ad percipiendas sanctiores epulas adigebant. Quod si quis renueret, aut responderet; cum plagæ, flagra, vincula, carceres, & quæ ijs conuenientia sunt, consequebantur. Caterum (subiungit Nicephorus) vnius atque alterius exempli eius mentione facta, satis omnino erit, quanta Macedonij feritas, eorumque, qui cum eo vixerunt, crudelitas fuerit, & inhumanitas, ostendere. Quarundam igitur sceminarum, quæ eius auersabantur communionem, mammas arcis & cistis compressas auulsit. Erant quibus eadem corporis partes, nunc ouis ad summum igne tostis, nunc ferro candente adureret, &c.

XCIX.

*August. epi.
Sola 68.*

Idem epist. 50.

NON aliud fuit studium Donatistarum. Dat illis testimonium B. Augustinus, quod per suas immanissimas improbitates (sic enim loquitur) furiosasque violentias quietem Reipub. vastauerint & perturbauerint; Insidias in itineribus Catholicis Episcopis tetenderint: clericos plagis immanissimis quassauerint: Laicis & plagas grauissimas inflixerint, & ædificijs incendia intulerint. Quis, inquit idem Augustinus, dominus non seruum suum timere compulsus est, si ad Donatistarum patrocinium confugisset? Quis euersori minari saltem audebat actori? Quis consumptorem apothecarum, quis quemlibet poterat exigere debitorem, auxilium eorum defensionemque poscentem? frangebantur tabulæ: extorta debitoribus chirographa reddebantur. Quicumque dura illorum verba contempserunt, durioribus verberibus, quod iuebant, facere cogebant.

cogebantur. Innocentium, qui eos offenderant domus, aut deponerentur ad solum, aut ignibus cremabantur. Quidam patresfamilias honesto loco nati, & generoso cultu educati vix viui, post eorum cædes, ablati sunt: Quidam vincti ad molam, & eam in gyrum ducere, tanquam iumenta contemptibilia, verberare adacti sunt. Idem Augustinus refert, quod Presbyterum, quia propria libera voluntate vnitatem nostræ communionis elegit, de domo sua raptum, & pro arbitrio immaniter cæsum, in gurgite etiam cænofo volutatum, burda vestitum, cum quibusdam dolendum, quibusdam ridendum in pompa sui facinoris ostentasset, abductum inde, quo voluerunt, vix post duodecim dies dimiserunt.

C.

IISDEM vestigijs cum præcedentibus insistent Iconomachi, ducibus Leone Isauro, Constantino Copronymo, & Leone Armenio Imperatoribus. Iubent illi, vt toto Romano Imperio exulent sanctorum omnium Martyrum & Angelorum Statuæ atque Imagines: non obsequentes pro hostibus habent Imperij. Quid inde? mox proscribuntur Patriarchæ, crudeliter exuruntur viri doctrina & pietate illustres, &, vt vno verbo multa complectamur, totus propemodum cum Oriente perturbatur Occidens: Imperiumque vna cum honore amisisset Leo, nisi Pontificis Romani conatus concitato populo obuissent.

*Diac. lib. 21.
Rom. & li. 23.*

CI.

NVM ab his degenerarunt Albigenes? Optandum id fuisset. Verum hi quoque, postquam mille propemodum ciuitates turbassent, & ad suam perfidiam perduxissent, exterrorum Regum potentia freti, iam Romanis Pontificibus denunciare audebant, Romam quoque orbis caput se armis tentaturos: stabulatuos equos in porticu Ecclesiæ Sancti Petri, atque in eiusdem fastigio vexillum suum fixuros esse. Quid multis? Tanta horum insania & rabies fuit, vt nisi Christianorum Principum armis suppressi fuissent, totam Europam turbassent.

*Gabr. Pæstre.
Hæres. Albigens.*

CII.

CII.

*Aeneas Silvius
capit. 33. Hist.
Bohem.*

HVSSITARVM crudelitatem & tumultus tota Bohemia experta est, & eò vsque Nouatorum studijs atq; turbis res perducta fuit: vt tantum non, in Turcarum atque Barbarorum venerit potestatem. Quantos tumultus præcipuus ipsorum dux Zisca primum monoculus, deinde cæcus excitauit? Quot Ecclesias & nobilissima monasteria ferro & igne deuastauit? Quæ imago aut statua ab eius furore tuta fuit? quantus innocentium sanguis effusus? quot deletæ ciuitates?

CIII.

*Vide cap. 2. de
Iure Mijs.*

IN infinitum oratio excresceret, si quotquot vnquam in orbe Christiano aliam, præter vnã, & Apostolorum temporibus probatam doctrinam inuehere conati sunt, turbas ciuerunt, referre velimus: Quod dissentiens Religio sine turbis, & perturbata Repub. subsistere nequeat; testantur Christianorum Imperatorum grauissimæ leges, proscriptiones, exilia, carceres, aliaque supplicia in peregrinæ Religionis professores constituta; quibus necesse fuit in ipsos aduertere; si amicam pacem, si Rempub. pacatam, si fortunas ciuium illæsas integrasque esse voluerunt. Hæc Historia præteritorum seculorum.

CIIII.

PRÆCEDENTIVM quoq; temporum calamitas docet, quam foelicitatem & tranquillitatem à Libera Religione orbis Christianus expectare debeat. Vbi semel Libera Religio admissa est; ibi necesse est dissensionum, contentionum, intestinorum odiorum, turbarum, Ciuiliũ tumultuum, atrocium bellorum plena esse omnia. Id sequentibus docemus.

CV.

Surius in Com.

SCRIBIT Easmus Roterodamus ad Fratres Inferioris Germaniæ, eam esse peculiarem vim, & naturam Noui Evangelij, vt seditiones moueat. Celebratum est Zwinglij dictum: Euangelium vult sanguinem: Dedit hoc testimonium libris Luthe-

Lutheri Vvormatiæ Imperator Carolus Quintus, quod seditiones spirarent. Solimannus Turcarum Imperator optat minorem ætatem Luthero, quod sua doctrina seditionum in Christiano orbe (quæ ipsius Imperium augere possent) sit optimus incensor. Confessus quoque est ipsemet Lutherus illam sibi videri faciem Reip. Christianæ iucundissimam, si ob verbum Dei studia fiant & seditiones. Testimonia hæc magna sunt.

CVI.

ILLVSTRANT porrò hæc, exempla eorum, qui Nouarum Religionum & dogmatum vel Architecti sunt, vel promotores. Quotus quisque est, qui non vel ciuitatibus est proscriptus, quod seditionis alicuius author fuerit; vel ob excitatos tumultus in suspicionem non venerit? *Flores Calvin.*

CVII.

HÆC confirmant dogmata, quæ Noua Religio adfert. Talia enim sunt, vt turbas & tumultum cum summo iure imperare videantur. Docetur enim Christianis nullam legem imponendam. Docetur tantam esse Christiani hominis libertatem, vt mortalium nullus sit, qui ius habeat vel vnâ syllabam in ipsum constituendi. Docetur nullam Euangelij spem esse, nisi prorsus omnibus sublatis legibus. Iam vero potestne pax sine legibus subsistere? Hæc verba sunt. Ad res veniamus.

CVIII.

GERMANIA Romani Imperij sedes, & ob Religionem, artes, militandique scientiam florentissimum quondam Regnum, postquam à prisca fide discessit, & peregrinæ aures accommodauit; in has, quas iusto Dei iudicio perpetitur, miseras peruenit. Attrita est intestinis bellis: distracta est opinionum, & diuersarum Religionum multitudine: dissolutæ eius vires: & hoc fere solo stat, atque se tuetur, quod, qui prorsus euertere velit, nulli externo per ocium vacet.

H

CIX.

GALLIA à Christiana Religione Christiani cognomen Regi suo comparauit. Voluit sequi Caluini placita: sed quanto cum suo detrimento? Quot annis militem aluit, qui aut Calvinismum armis intruderet, aut auitam Religionem contra Calvinismum tueretur? Quot egregios Duces amisit? In quot periculis Regem suum conspexit? Quoties de perduellibus pœnas sumpsit? Quoties pacem, quam Religionis hostibus coacta obtulit, violatam vidit? Quoties nunc suorum, nunc externorum sanguine maduit? Nouerunt omnes nefandam Geneuæ, anno sexagesimo, celebratam conpirationem, in qua nex Francisco secundo Regi, Reginae vxori, Reginae matri, eiusque liberis, proceribus, & bonis Magistratibus ad certam horam inferenda constituta fuit, Beza principe, authore Caluino, Ottomanno subsignatore, Spisamio suasore, omnibus Gallia prædonibus & lanistis conscijs. Confirmat hoc argumentum Epistola typis excusa, & primum Constantinopoli scripta. In ea, quæ Caluinistarum consilia sint, docetur: quod deserto Rege sub tutela cupiant esse Turcarum: parati quoque sint ad turbas & seditiones in Germania excitandas, quando id ita Turcis commodum videretur. Addunt quod si in Turcarum Imperatoris tutelam recipiantur, futuros se eius Maiestati socios utilissimos, cum possint non solum ipsum Regem suum vexare, ne affinem, Regem inquam Hispaniarum contra Turcas iuuet, verum etiam per aliquot potentes Germaniæ Principes, qui suis partibus fauerent, Romanorum Imperatorem in omnibus consilijs, quæ contra Turcas susciperet, impedire.

*Vide Surium
anno 68.*

IN Belgio atq; Inferioribus Philippi Regis ditionibus summa rerum omnium vastitas est. Euersæ vrbes, orbati suis cultoribus agri, sublata cum externis commercia, bona ciuium direpta, extincta nobilitas, senatus mutatus, sublati viri pij, Principes trucidati. Summa, A viginti & pluribus annis ne per horam quidem vnquam à tumultu bellico libertas concessa est.

Et horum omnium quæ causa? qui primi Duces? Nonne illi ipsi qui Liberam Religionem tantoperè vrserunt? Certè id testantur in vulgus sparsæ chartæ, affixi ædibus Ecclesiasticorum hominum famosi libelli, sordidus habitus, ex pileis dependentes scutellullæ, armatæ conciones, voces seditiosæ in Regem, Regiosque ministros, conuicia Catholicis illata, contumeliæ & sexcenta his similia.

*Surius anno
1566.*

CXI.

NON minores procellas atq; tempestates Anglia perpeffa est. non minores experitur quotidie. Tot insontium cædes crudelissimæ, tot inusitata & inaudita supplicia, tanta rerum omnium perturbatio cum Noua Religione in illud Regnum illata sunt, vt rerum gestarum historia vix apud posteros fidem sit habitura: Quid, quod priuatis & intestinis malis non contenta, vniuersum propemodum orbem Christianum Turcicis armis offerat excruciamdum? Docere hoc potest Libellus supplex Angli cuiusdam Bayli Sulthano Turcarum Imperatori, Anno 1587. Nono Nouemb. oblati. Vide Petri Hansonij Warnung an alle getreue Teutschen.

*Vide lib. de
pers. Anglic.*

CXII.

ET Scotiæ pacem perturbauit Libera Religio, atque cum turbis Regnum illud ingressa est. Historiam ex Genebrardo ascribimus, qui sic habet. Scoticis tumultibus, vt tutius occurreret Maria Regina, nubit Darleio nobilissimo iuueni, ex veteri Anglorum, Scotorumque stirpe. In his Calvinistæ noui Regis animum, clam Regina, tentarunt, atque ad ignoscendum ipsis omnia, pellexerunt. Reuocati ab exilio, in oculis ipsius, & Regina, Dauidem Secretrarium interficiunt, in animo habentes Reginam grauidam, si quid effudisset, simul cum spe partus tollere, adulterij crimine in illam confecto, & Catholicos omnes interficere, vel saltem Regno pellere, Missam abolere, Calvinismum stabilire. Regina simulans sed ad illorum omnia conuiuere: se Regemque eduxit media nocte, illorumque manus effugit: Deinde col-

H 2

lectis

*Iam crudeliter
extincta est.*

collectis amicis & fidis, perduelles in Angliam, vnde prima mali labes, fugauit: aliquot etiam supplicio affectis. Paucis mensibus interiectis peperit Masculum, cui vel hoc vno pessimè consultum, quod ipsi Buchananus quidam Bacchicus histrio, & Atheus poëta pro præceptore tributus sit. Iacobus nothus Reginae frater, spe regnandi curat, vt Rex, qui exacto conuiuio dormitum abiuerat, inter confæderatorum manus suffocaretur, siue è fenestra elapsus, siue cum ædibus puluere tormentario in aëra sublatus. Regiam, quod huic conuiuio non interfuisset, proptereaque coniurationem frustrata esset, authorem huius cædis mox spargunt, prætextu cuiusdam Zelotypiæ: ac nubere è vestigio cuidam Boduuello cogunt; vt his nouis & acceleratis nuptijs nonnulla etiam apud Catholicos suspicio fieret & adulterij, & paricidij. Quæ vbi se collegisset, vsa stratagemate euasit in Angliam; vbi calumnijs obruta, contra ius gentium paris dominium perpetitur. Sic Iacobus nothus Regni administrationem occupat; & specie pacis & concordia data fide, initoque colloquio, nobilis & Reginae amici omnes sunt comprehensi, & in custodiam arctissimam traditi. Hæc sunt in Scotia Noui Euangelij constituendi initia & successus: à seditione, conspiratione, Principum cæde, profugatione, calumnia. Huc vsq; Genebrardus.

CXIII.

ATQVE hæc in regna integra inuexit commoda Libera, quæ queri dicitur, Religio. Quid, quod per ipsam vix vlla satis tuta esse potest Respublica? Sunt quædam libera à Libera Religione Ciuitates, aduigilante pro suo officio Magistratu, sed à Libera Religionis malis fructibus libera non sunt. Argumento sunt incendia ædium, agrorum depopulationes, prædæ, furta, cædes, tumultus ciuium, vigiliæ, exactiones propemodum quotidiana, quas, vt externo milite se tueantur, pensitare coguntur.

CXIII.

SVNT alia, quæ Nouam doctrinam semel admiserunt, & Nouarum sectarum professoribus apud se locum esse volue-

voluerunt: & hæc aut in perpetua versantur trepidatione, & metu amittendarum fortunarum, corporumque suorum civium; aut, priori Religione exulare iussa, cum mutata fide gravissimas molestias experiuntur.

CXV.

Porro quemadmodum olim, ita nostris quoque temporibus, cum perturbata Rep. summam insolentiam, impietatem & barbariem inuexit Noua Religio. Id vnum dolendum nostra tempora priorum temporum barbariem longè superare. Hoc vel soli Religiosi & pij homines testari possunt: quorum alijs Nouatores auriculas absciderunt, & pileis suis nunc apposuerunt; nunc easdem colligatas, veluti torquem, ex collo suspenderunt: alios, vt voluptatem aliquam iam benè pasti captarent, vestibus exutos, more leporum, aut ferarum canibus exagitarunt: alijs sclopetis in os oppositis, glandibus missilibus vitam miserè extorserunt: alios terræ capitetenus infossos, metæ loco esse voluerunt, ad quam crudeles homines lapides colimarent. Sunt quibus intestina fuste intorta sensim extraxerunt. Sunt quibus pellis detracta, & qui excrementorum tuorum fœtore suffocati sunt. sunt quorum plantis equi calces ferreos appresserunt. sunt quorum ventres ferro dissecuerunt, & eorum intestina paulatim baculis circumuoluta euulserunt. Plurimi etiam aut vno pede suspensi, aut vno summo guturi affixo, dolore *Surius anno* & inedia confecti. Non pauci in templorum crucibus suspensi, 1567.

Quidam lardo vincti misto igni arserunt. Alij candentibus veribus per posteriores partes infixis, aut clavis ferreis in abramam capitis partem adactis extincti sunt. Sunt nonnulli exenterati: quorum viscera frumento respersa in alimentum porcorum cesserunt. Viuorum etiam ventres aperuerunt, & imposta auena præsepe & pabulum equis præbuere. Alicubi binos colligarunt, quos sublata omni viuendi alimonia languere coegerunt, vt extrema famis rabies impelleret ad se mutuo discerpendum & deuorandum. quosdam funibus summè extensis iecerunt, vt hoc modo medios dissecarent, atque eo, plusquam barbarico tormento, eosdem trucidarunt. quosdam stipitibus al-

alligarunt, modicum à tergo ignem accendentes, vt longo tormento paulatim arderent, & igne lento consumerentur. alios cistis perforatis incluserunt, & deinde tantam bullientis olei vim superinfuderunt, vt animam his tormentis victi exhalarent. Reclinarunt quosdam supinos, & per infundibulum ori impositum, aqua infusa ventres compleuerunt: turgidos ventres exinde fustibus tutuderunt, vt aquam ea, qua intrauerat via, alijsque apertis corporis partibus exilire cogere: quorundam nudo ventri pelues inuersæ superimpositæ; sub peluibus glires viui, super pelues, exstructi ignes, quibus excitati mures, dentibus ventres arrosuerunt, perforarunt, & in ijs se condiderunt. Et, quod dictu quoque fœdum est, quibusdam exsectos testiculos primum coxerunt, coctos deinde iisdem comedendos vi obruserunt: nec hac immanitate contenti, ventres aperuerunt, intestina scrutati sunt, vt, vbi tam egregium edulium delitesceret, intuerentur. Quid, quod quibusdam vna cum huius vitæ vsura, animæ quoq; salutem auferre voluerunt? & simul in corpore atque anima nocere? Ab oculatis testibus habemus ipsos maxima Caldaria ad summum aquis repleuisse, atque in ea miseros iniecisse. Astabant his Lictores, vt si capita erigerent, sclopeta in ipsos laxarent, atque hoc metu cogere latitare sub aquis, & sibi ipsis mortis authores esse.

*Vide Theatrum
crudelitatum
Hereticorum.*

CXVI.

ATQVE hæc tam ex præteritorum, quam nostrorum temporum historia. Est quoque Religionis & Fidei illa conditio, vt regni consortem non patiat, & aut sola esse debeat, aut certè cum tumultu & turbis. Id quod non de vera tantum & Christiana; sed de quacunque etiam, quantumuis supersticiosa, verum esse, & ratio, & exempla confirmant.

CXVII.

PRIMA huius rei causa est, quæ cum diuersa Religione coniuncta est, animorum defensio. Hæc quemadmodum in rebus omnibus, ita non potest non in Religionis negotio turba-

turbarum esse seminarium, & fomentum: quin imo tanto maiores tumultus hinc excitat, quanto tenacius atque firmitus ea, quæ fidei sunt, tenentur, & quanto in certiori periculo versari iudicamus eos, qui aliam à nostra, Fidem, atq; doctrinam profitentur. Mutata Religione, inquit Tullius, necesse est vitæ Ciuilis sequatur Confusio.

CXVIII.

EST O habeat sedem suam fides in animo: sed tamen, quemadmodum ignem prodit fumus; ita externus cultus interioris argumentum est: quo fidem destitui tam est difficile, quam ignem suo fumo. *Thom. 22. q. 81. art. 7.*

CXIX.

ET hinc, ex cultus, inquam, diuersitate, alterum argumentum pro causa nostra sumitur. Si enim vel sola animorum dissensio factionum origo est; quam pacem quietemque sperare possumus, si ad dissentientes animos diuersi atque contrarij ritus accedant?

CXX.

NON potest in domo vna pax retineri, in qua huic sua Religio carnes permittit omnibus diebus; isti vero sua certis diebus prohibet. In qua illa suadet à seruilibus operibus esse vacandum; hæc labores vrget, &c. Si vero nec in vna quidem domo pacem habere potest dissentiens Religio; quomodo in ciuitate, in Repub. in prouincia, in regno, vbi tanta animorum morumque diuersitas est, poterit?

CXXI.

SUPERBVM est ingenium hominum. probant sua, non ferunt, si improbentur ab alijs: In re qualibet primatum obtinere cupiunt. Ergo, quando Religionis suæ studia probant, necesse est, improbent exercitia Religionis contrariæ: necesse est sua nolint ab alijs improbari. At si quid improbare homines, aut solent, aut debent, id est diuersæ Religionis exercitium. Quid igitur ex diuisa Religione? Contentio, discordia, vindicandi studium, animositates, tumultus, seditiones, bella.

CXXII.

CXXII.

HINC est, quod nec Gentes diuersam Religionem vnquam probauerint, & modis omnibus, ne noua aliqua introduceretur, studiosè cauerint. Apud Romanos lex 12. Tabularum erat: Peregrinos Deos ne colunto. Et, Tertullian. teste, vetus erat Decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à senatu probatus. Et Numa Pompilius ea de causa sacrorum Pontifices (Liuius asserente) instituit, vti curarent, ne quis motus fieret per nouarum extranearum ceremoniarum introductionem. Quin etiam Augusto Cæsari inter rationes Reipub. reformandæ eam imprimis consuluit Mecænas; Vt ne permetteret mutationem aliquam in Religione, quippe quia conturbari soleat Reipub. status Nouæ Religionis prætextu, & illicita collegia, coniurationesque & seditiones nasci. Apud Græcos Isocrates in sua Principis institutione hortatur, ne mutet prædecessorum suorum Religionem, ob motus, qui inde oriri solent. Et hostes Socratis, calumniam quærentes, qua illum neci traderent, non aliam couenientiorem inuenerunt, quam quod Deos negans (vel Tertulliano teste) noua inferre videretur dæmonia. Quo fit, vt Plato & Xenophon in sua in illum Apologia, maximè in ea accusatione purganda laborauerint.

*Tertull. apol.
cap. 5. n. 55.*

*Apud Dionem
lib. 28.*

*Apoll. c. 46.
& initio lib.
de anima.*

CXXIII.

NVLLAM vnquam familiam fuisse legimus, in qua non dissentiens Religio turbas excitauit. Probat id discordia inter Isaac & Ismaelem in familia Abrahæ: inter Iacob & socerum Laban in Mesopotamia: inter Moysen & vxorem Sephoram, dum proficiscuntur in Ægyptum ad educendum Dei populum, &c.

*Genes. 21.
Genes. 31.
Exod. 4.*

CXXIII.

FAMILIARVM exempla Regna sequuntur. Ieroboam Rex schismatis grauissimi in Iudæa author, maximam populi partem ad se pellexit. vt verò omnem occasionem redeundi deinceps adimeret, perpetuasque inter Israelitas & Iudæos discordias haberet, Nouam excogitauit Religionem, nouosque

2. Reg. 12.

nosque instituit ritus : hanc iudicans primam esse causam, quæ discordes foueret animos, si discors Religio esset. Res, quemadmodum Regum series demonstrat, optatos successus habuit, & (quod ad rem plurimum facit) tanta animorum dissensio inter vtrumque populum fuit; vt ne eadem quidem literarum formas habere voluerint Iudæi, cum Israëlitis, qui vnam Religionem profiteri cum ipsis recusarent : Illam formam, quæ nunc vsitata est, id est quadratam, mutatis prioribus condiderunt Iudæi; & illas, quæ Samaritanæ litteræ deinceps sunt nominatæ, reliquerunt. Ita Rabbi Moyfes Gerondensis sub finem pentateuchi. *Rabbi Moyfes.*

CXXV.

HORRENDA sunt supplicia, quæ in Iudæorum gentem statuit Rex Antiochus. docet id abundè Machabæorum historia. Horum causa nulla alia, quam quod vnam vellet esse apud sibi subiectos Religionem : iudicans, quod diuersa & multiplex regnum diuideret & dissiparet. *2. Machab. 5. 6. 7. & 6.*

CXXVI.

DE Religionis iure, falsorumque Deorum cultu parua olim erat Romanorum Imperatorum cura. Pax illis Re- rumque publicarum tranquillitas erat proposita : hanc tamen, quia non putabant consistere posse cum diuersa Religione; in Christianos, licet pacis studiosissimos tanta barbarie debachati sunt. Hinc illæ tot & tam crudeles persecutiones sub Nerone, Domitiano, Traiano, Marco Antonino, Lucio Commodo, Se- uero, Aurelio, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Dio- cletiano, Maximiniano, Iuliano, &c.

CXXVII.

VSQVE adeo cum tumultu Libera Nouaq; Religio con- iuncta est, vt ne Christiana quidem, & quæ sola vera est, sine tumultu locum in orbe habere potuerit. Id inprimis Sanctissimi Pauli persecutiones demonstrant. Antiochiæ Pisi- diae finem concioni ipsius imponunt contradictiones & blas- phemiæ

Actor. 13.
cap. 14.
ibidem.
cap. 16.
capit. 17.
ibidem.
cap. 18.
capit. 19.
capit. 20.
cap. 21.
Actu. 16.
Actor. 16i
Actor. 19.

Ioan. 11.

Luc. 22.

phemiæ Iudæorum. Iconij ad conuitia accesserunt lapides. Ly-
 stris bene lapidatus, tanquam mortuus, e Ciuitate extractus
 est. Philippis post perturbatam ciuitatem, & accepta verbe-
 ra coniectus est in carcerem. Thessalonicæ nocte dimissus à suis,
 ponit spem salutis in fuga. Athenis nouorum dæmoniorum
 pronunciat assessor. Corinthi oneratus blasphemijs & con-
 uicijs cogitur mutare solum, & vrbe excedere. In Asia, autho-
 re Demetrio, grauissimam sustinet persecutionem. In Gracia
 nauigaturo in Syriam factæ sunt insidiæ. Hierosolymis vniuer-
 sus in ipsum populus concitatus, & tantum non occisus est.
 Demonstrant deinde voces eorum, qui eundem Apostolum,
 aliosque Christi discipulos sunt persecuti. Apud Philippos,
 Gentiles offerentes Paulum cum socio Magistratibus, Hi homi-
 nes, inquit, conturbant Ciuitatem. Thessalonicæ Iudæi ad
 Principes Ciuitatis exclamabant: Hi urbem concitant. Ephesi
 vociferabantur, Videtis & auditis, quia non solum Ephesi, sed
 pene totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbam,
 &c. Demonstrat tertio Pontificum & Phariseorum contra
 Christum exclamatio: Quid facimus, quia hic homo signa mul-
 ta facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & ve-
 nient Romani, & tollent locum nostrum & gentem: & rursus
 coram præside Pilato hæc eorundem calumnia: Hunc inueni-
 mus subuertentem gentem nostram. Commouit enim popu-
 lum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque
 huc. Nimum hoc Caput excrescit. Id statutum sit Liberam
 Religionem sine tumultu esse non posse. Nunc prosequa-
 mur alia.

DISPUTATIONIS SECVNDÆ
 CAPVT QVINTVM.

*Liberam fidem & Religionem tendere
 ad certissimam totius Christianæ Religio-*

nis

nis euerfionem, multis rationibus demon-
stratur.

CXXVIII. THESIS.

CHRISTIANA Religio, etsi præcipuam se-
dem in hominum animis habeat, atque in interiori cultu,
qui fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum actibus
continetur, consistat; externis tamen subsidijs, partim conser-
uatur, partim fouetur, partim augetur, partim illustrior red-
ditur, & splendidior.

Augustin. in
Eucharis. cap.
2. 23.

CXXIX.

IN horum genere principem locum obtinent Sacramenta:
quæ Samaritani nostri Medicamenta sunt, & certissima ef-
ficacissimaque salutis præsidia. Hæc vsq; adeo necessaria sunt,
vt sine ipsis Religio Christiana subsistere nequeat.

Concil. Trid.
Sess. 7. can. 6.

CXXX.

SVNT deinde Tempia siue Oratoria : quæ non ad DEI
solum verbum populo Christiano annunciandum, extru-
ta fuerunt : sed præterea, vt domus sint orationis ; & tanto
gratiora essent in illis oblata Deo fidelium vota, quanto ille ma-
gis plurium, quam paucorum solet probare pietatem.

Matth. 21.

CXXXI.

TERTIO loco sunt Tempora; quæ partim diuinorum
mysteriorum Christianum populum admonent, partim
egregia sanctorum hominum pro Christo certamina, atque ago-
nes ob oculos proponunt. Hic studium nostrum ad præclara
ipsorum opera æmulanda exercitatur : ibi grati animi impera-
tur significatio. Vtrobique Religio maiora atque maiora in-
crementa in hominum animis acquirit.

August. libi
20. cont. Fau-
stum c. 2.

CXXXII.

*Hiero. in prol.
galeato.*

QVARTO loco est Reuerentia, quæ diuinis mysterijs & nostræ Religionis dogmatibus, summa debetur. Quemadmodum enim quæ illis fit irreuerentia, certissimum Religionis contemptum parit: ita exhibita reuerentia florentem constantemq; Religionem conseruat.

CXXXIII.

Luc. 10.

QVINTO est Obseruantia erga eos, quos Christus Ecclesiæ suæ præesse voluit Pastores & Rectores. Neque enim fieri potest, vt doctrina probetur; si contemnatur, subfannetur, & pro nihilo habeatur Doctor, & doctrinæ Assertor.

CXXXIII.

Matth. 18.

SEXTO est studium obseruandi Leges, Ecclesiasticasque Constitutiones, illas imprimis, quæ Christiani populi erga Deum pietatem imperant. Non potest vlla Respub. sine legibus consistere: & poterit Christiana omnibus legibus abiectis, & contemptis?

CXXXV.

*Damas. lib. 4.
Orth. fide c. 7.*

SEPTIMO sunt Imagines, egregij illiteratorum libri. Hæ præterquam, quod præteritarum rerum Historiam oculis obijciant; magna quoque subsidia sunt & conseruandæ & promouendæ Religionis tantoq; magis ad virtutum studium Christi, Sanctorumq; exempla nos promouent, quanto fortius moent, oculis obiecta fidelibus, quam quæ demissa per aures.

CXXXVI.

*Vide capit. 1.
huius secundæ
Disputat.*

OCTAVO sunt Ritus atq; Ceremoniæ. Olim Deus voluit innumeras esse apud Iudaicum populum Ceremonias: partim vt populum, ad Idololatriam procliuem in officio contineret, omnemq; à vera Religione discedendi occasionem tolleret? partim vt his tanquam adminiculis quibusdam Religio fultra esset. Quocirca nec iam earum vires parue erunt, ad Christianum populum in vera auitaq; Religione continendum.

CXXXVII.

CXXXVII.

FORVM etiam cœtus, qui, speretis mundi huius volupta- *Diocle. Eccle-*
 tibus, arctius viuendi genus complectuntur; & ornat, & *siast. cap. 6.*
 vehementer promouet Religionis negotium. Ornat sua varie-
 tate: promouet partim precibus, quibus Christianæ Reipub.
 causam Deo commendat; partim sanctiori & integriore vita,
 qua calcar alijs ad similia studia additur; partim diuini Verbi
 prædicatione, cuius vberrimi temper in Ecclesia fructus esse
 solent.

CXXXVIII.

DENIQUE sunt externa Sacrificia, quibus animi sui *Thom. 22. q.*
 obsequium erga diuinum numen, mortales declarare *85. ar. 1.*
 solent. Non debent hæc desiderari in Christiana Religione:
 quando gens tam barbara nulla fuit, quæ, si modo ali-
 quod numen coluit, non intellexerit, natura docente, certo sa-
 crificij genere Deos suos colendos esse. His rebus Christiana Re-
 ligio fouetur, augetur, ornatur.

CXXXIX.

IAM constituendum est, Vtrum Libera Fides ad Christia-
 næ Religionis euersionem faciat. Et quidem si hæc vio-
 let, Religionem dissoluit: Si tuetur, atque defendit; vel sal-
 tem non interturbat; veræ Religionis inimica censenda non est.

CXL.

QUOD tueatur atq; defendat; nulla ratione dici potest.
 Quod vero interturbet & violet; quod prorsus ad ipso-
 rum euersionem contendat; tam est manifestum; vt qui non
 videat, prorsus in luce meridiana cecutire dici debeat. Sed ta-
 men singula demonstramus.

CXLI.

IN Christi Sacramenta admodum iniurij sunt Nouatores
 omnes. Primum enim plurima ex ipsis reiecerunt; &
 quæ Maiores nostri, non inferiori quam quo præcipua, loco
 habuerunt, ea illi non nisi probrosis nominibus olei rancidi

*Cal. in Instit.
de Sac. Confir.*

*Vide Surium
anno 1567.*

foetore anhelitus inquinati dignantur. Deinde, quæ ex numero nondum reiecerunt; aut negant esse necessaria, aut non quæ par est, reuerentia & ritu administrant. Tertio ipsorum vim atque virtutum profus eleuant, & nihil præter egena elementa & nuda Iustificationis nostræ Symbola esse volunt. Quis iam in his profanandis ipsorum barbariem commemoret? an non oleo sancto inuncti calcei? oleo repleta Baptisteria? sanctissima Eucharistia nunc porcis, nunc canibus, & Psittacis obiecta? nunc pedibus conculcata? nunc igne cremata? nunc sacro oleo cocta? nunc pileis per ludibrium affixa? nunc pugionibus confossa? nunc sclopetorum glandibus traiecta? nunc probrosis & nefandis nominibus compellata? &c.

CXLII.

Surius ibidem.

NON paritum quoque est Templis. De sola Gallia quidam sic scribit. Tempia, inquit, multis locis incensa, multis diruta. quid dico multis? sane numero incredibili; utpote ad decem millia, & supra. quæ residua fuerant, ad usum equorum commutata sunt, aut in speluncas latronum conuersa. Quicquid in ipsis pretiosum est, pessum abiit. Calices confracti, & in profanos usus conuersi. Campanæ turribus deiectæ, transformatæ in tormenta bellica: & non iam ijs populus ad diuina officia peragenda conuocatur; sed stragis, sed cædis, sed extremæ vastitatis certissima sunt argumenta. Obsequium iudicatur præstari Deo, si qui in diuinis officijs, pretiosus vestitus adhiberi solet, in usum cedat & Meretricum & Lenonum.

CXLIII.

EX sacris Temporibus vix se potuit satis tueri vna dies Dominica. Quæcumq; sunt præter hanc, vel sine causa iudicantur esse instituta: vel ad superstitionem Idololatricam (quo nomine Sanctorum cultum definiunt) dicuntur pertinere: vel Christi passioni derogare, & hominum meritis nimium tribuere. Quocirca & eos dies, quibus Christi passi memoria recolitur, non planctu sed iubilo; non tristitia & mœrore, sed gaudio: non de se vltro suscepta ob peccatum vindicta, sed venatione, alijsq; parum

parum honestis lusibus censent transigendos: quasi non indignum sit, ut sub capite spinis coronato membra delitescant delicata.

CXLIII.

QVÆ vero, vel quanta est, quæ diuinis mysterijs, & nostræ Religionis dogmatis, Reuerentia exhibetur? Nonne quod tempore Arii vsu venisse testatus est Nicephorus; id nostros Nouatores prorsus effingere videmus? ut in vicis, congregationibus, cauponis, conuentibusque adeo omnibus, mulieres quoq; & pueri non aliud studio habeant, quam de dogmatibus blaterare? & sacram Scripturam garrula anus, delirus senex, sophista verbosus, vniuersi deniq; præsumant, lacerent, doceant antequam didicerint?

Niceph. lib. 9. cap. 2.

CXLV.

PORRO erga eos, quos Christus Ecclesiæ suæ præesse voluit Pastores & Rectores, omnis cum Libera Religione Obseruantia interiit. Vix iam digni iudicantur, qui inter mortales conuersentur. Onerantur probrosis nominibus: bonis exuuntur: spoliantur suis, quæ Christianorum Principum liberalitate habent. Priuilegia: vrbibus proscribuntur: deniq; quæcunq; excogitari possunt, in ipsis primum supplicia probantur: Nonne anno 1566. in Conciliabulo quodam apud S. Trudonem in crypta ad Aduersarijs habito, propositum fuit, vna & eadem nocte per decem & septem Inferioris Germaniæ prouincias trucidare omnes personas Ecclesiasticas? Quid? quem omnis antiquitas Christi semper in terris Vicarium agnouit, ille, velit, nolit, oportet sit infestissimus Christi hostis, summus Euangelij aduersarius, maximus Ecclesiæ vastator & dissipator, crudelissimus Sanctorum omnium mactator & Carnifex, deniq; Antichristus ipse.

Vide Thes. 157. huius Disput.

Theatrū Cru- del.

Caluin. cap. 8. Institut.

CXLVI.

AN relinquit intactum studium obseruandi Ecclesiasticas Constitutiones? At primum docetur ne syllabam quidem in Christianum hominē constitui posse, propter summam, quam per Christum consequutus est, libertatem. Deinde rogo traduntur, & non satis honestis officinis Libri, quibus Ecclesiasticæ Constitutiones continentur. Deniq; si ad ipsarum obseruationem

nem

nem Nouatores vi cogantur; putant iustissimam sibi rebellandi, atque arma sumendi occasionem oblatam esse.

CXLVII.

VBI nam Gentium Imaginibus relinquitur locus? Vbi non summa ipsis illata iniuria? Non satis tutæ sunt in templis: non in priuatis ædibus: non in publicis vijs: non in compitis. Quam viuis impij homines non possunt; illam Imaginibus contumeliam atq; ignominiam intulerunt. Scimus Crucifixi imagines brachijs viuos appensos esse Sacerdotes. Scimus Deum eiusque Sanctos in Imaginibus prouocatos esse, vt, quod possunt, demonstrent. Scimus diuersorum sexuum Imagines ita compositas fuisse, vt foeditatem atque barbariem pudici oculi ferre nequiverint.

CXLVIII.

FORTE Ceremoniæ, quibus in Sacramentorum administratione piè Religioseque vtimur, liberæ sunt cum Libera Religione. Optandum id esset: Verum & ipsæ admissa semel noua Religione mutant solum. Quidquid in harum genere est, vel ad iniquas Superstitiones; vel ad inanes hominum Traditiones; vel ad otiosos ritus refertur; vel oportet sapiat Iudaismum aut Paganismum.

CXLIX.

ET quam Templis supra diximus irrogari iniuriam, eam imprimis sentiunt & experiuntur Monasteria, piorum hominum habitacula. Hic erga DEO consecratas Virgines nullus pudor aut verecundia. Hic vllius ætatis nulla Reuerentia. Hic tanto gratius Deo iudicatur fieri obsequium, quanto atrocius in horum fortunas, & corpora sæuitur.

CL.

SACRIFICIUM noua Religio nullum habet. Sed nec vllum patitur apud alios; vt dubitare nemo debeat, vel possit nouam Religionem, Religionem nullam esse; & hoc ipsi propositum esse, vt nulla prorsus sit Religio; propterea quod vt sine sacrificio Religio sit, fieri non possit.

CLL

CLI.

QVIS vero hic recenseat incredibilem petulantiam, & crudelitatem; quam in exhibendo, omnibus seculis approbato Catholicorum sacrificio, noua Religio exercuit? Nominus bombardarum strepitu, & funestis clamoribus fuisse interturbata Catholicorum sacra: Vitulos qui suo boatu risum excitarent, altaribus, cum tremenda mysteria agerentur, admotos. in publicis conuiujs atque Comædijs, per summum contemptum sacrificij ritus expressos. Quid multis? Tantum hinc potuit Libera Religio, vt ab ijs etiam, qui se antiquæ fidei, & Catholicæ Religionis professores esse profitentur, vix sua Reuerentia atque honor Christo in incruento hoc sacrificio deferatur.

CLII.

QVÆ cum ita sint, potestne fieri, vt cum Libera, Christiana Religio subsistat? Non potest. Nulla Religio, vbi nulla Sacramenta; vbi nulla loca, in quibus ipsa suos in pietatis operibus exercet; nulla vel rarissima, quibus diuinum numen colitur tempora; Diuinorum mysteriorum nulla reuerentia; nulla obseruantia erga eos, quibus summa cultus diuini commissa est. Vbi silent Ecclesiasticæ leges: vbi eiectæ Imagines: aboliti sacri ritus: exturbati homines sacri: proscripta omnia sacrificia.

CLIII.

VERVNTAMEN non hinc solum manifestum est, ad presentissimam euerfionem Christianæ Religionis Libertatem Fidei facere; idem docent omnes, qui precedentibus temporibus apud Orthodoxos suæ doctrinæ locum esse voluerunt nouorum dogmatum Assertores. Omnibus propositum fuit; non tam suæ Religionis exercitia habere, quam veram, Orthodoxam, atque Catholicam euertere & profligare. Pulchrè Tertullianus Antiquissimus Scriptor Negotium, inquit, est Hæreticis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam; non si iacentibus

*Lib. de Pras.
Hæretic.*

K

centibus

centibus eleuationem operentur. Qua in re, quam sint ipsi Apostolis dissimiles, pulchrè idem ostendit. Apostoli, inquit, de mortuis viuos suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.

CLIIII.

QVOD Tertullianus docet, testantur Ariani, quos certissimum Christianæ Religionis excidium allaturos fuisse vel id solum demonstrat, quod, vt Nicephorus habet, in vicis, congregationibus, cauponis conuentibusque adeo omnibus mulieres quoque & pueri non aliud studio haberent, quam de dogmatibus blaterare? Testantur in Affrica Vvandali, & ipsi Ariani, qui Catholicos primum Ecclesijs suis, postea etiam domibus spoliarunt: seuerissime deinde sanxerunt, ne ab alijs in domos reciperentur, nisi suas cum vniuersa substantia ædes vellent consumi. Testantur Macedoniani, qui, vt diximus, inaudita suppliciorum acerbitate Christianum populum ab auita Maiorum suorum Religione studuerunt auertere: ijdem Catholicos Episcopos Ecclesijs expulerunt, Ecclesias vastauerunt, & vt hæc omnia rata haberet Imperator, obtinuerunt. Testantur mores Donatistarum, quibus nihil tam erat sacrum, quod non sacrilegii homines profanarent. Vt sacram vnctione auferrent, radebant Sacerdotum Capita, obijciebant canibus Eucharistiam, Chrisma in terram per summum contemptum fundebant, frangebant altaria, &c. Testantur Albigenes & Hulsitæ, quorum studia nihil à Donatistarum differebant.

*Niceph. lib. 9.
cap. 2.*

*Victor de pers.
Wand. lb. 3.*

*Trip. lib. 6.
cap. 3.*

*Optatus Mill.
lib. 2.*

*Anton. 3. p.
tit. 19. c. 1.*

*Aneas Syl. de
Bohemis.*

*Epist. 166. ad
Donatistas.*

CLV.

IVLIANVS Apostata, quod probamus non ignorauit. Ad exturbandam Christianam Religionem (quod impio homini propositum fuit) compendiosiore rationem nullam esse iudicauit, quam si libertatem Religionis singulis permitteret. Iulianus, inquit B. Augustinus, desertor Christi & inimicus, Hæreticis libertatem perditionis permisit: & tunc Basilicas Hæreticis reddidit, quando templa Dæmonijs: eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si vnitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissentiones liberas esse permitteret.

mitteret. Hoc Iuliani studium, & profecto non ineptum, quoniam, ut pulchrè Gelasius ad Athanasium, Hæreticorum & Catholicorum permixtio facit, ut cunctæ Religionis veræ & sincerę sedes perturbentur, Catholicaq; & Apostolica veritas confundatur.

CLVI.

QVID quod Aduersariorum Confessio nostram quoq; causam probet? Hortantur se mutuo, ut ad tempus quiescant, & non statim omnia perturbent: etiam paulatim longius iri; ubi iacta fuerint suæ Religionis satis firma fundamenta, tum vnã Catholicã (ipsi Papisticã vocant) quæ antea Christianum orbem occupauit, facilius expelli posse. Atq; hoc est, quod circumcidendum dicunt esse Timotheum. An forte pro nostra hæc libidine dicimus? non dicimus. Grauius reprehensi sunt ipsorum quidam, quod feruentioris fuerint spiritus. Sed & in inferioris Germaniæ prouincijs, quando cœnam suam celebraturi sunt (quis dubitet alibi idem accidere?) hæc ipsorum Parasceue est, ut ante omnia abiurent Romanã Catholicãque Ecclesiã: deinde polliceantur se ad illam nunquam redituros: tertio confirmant iuramento, omnibus locis, omnibus viribus, suis quoque corporibus eandem persequuturos.

Tossan^o in p̄fatione Thesum de viuifica Christi carne.

Surius anno 1566.

CLVII.

AT verbis opus non est. Res ipsa loquitur. Nulla potest dari in Gallia, nulla in Germania, nulla in Belgio, nulla in Anglia atque Scotia ciuitas, in qua, ubi Libera Religio sedem cœpit habere, prius non fuerit vel grauius læsa, vel prorsus extincta: ut hoc vnum querere videri possint, nouæ Fidei Architecti, Professores, & Patroni, ne Libera sit Religio, id est, ne præter illam, quam ipsi mundo obtrudunt, alia locum habeat. Scilicet sic suos imitantur Maiores: apud quos Catholica Religio mox exulare debuit, quam primum ipsorum firmam satis sedem habuit. Rem duobus exemplis illustramus. Primum est. Cum à Constantio peteret Athanasius, ut sicut ille petebat Alexandria Ariani concedi, ita vicissim Catholicis concederet vnã Antiochiæ Ecclesiã, annuere noluit Imperator, ut Nicephorus habet. Alterum est, quod de Valente narrat Theodo-

Niceph. lib. 9. capit. 42.

K 2.

retus;

Lib. 4. c. 28.

retus: Terentius Dux, inquit, cum ab Armenia erectis victoriae trophæis reuertisset, Valensq; ei imperasset, vt donum aliquod pro laboribus peteret; & ille non aurum, non argentum, non agros, non domum postularet; sed duntaxat vt vna Ecclesia illis qui, se in discrimen obtulissent pro doctrina Apostolica, concederetur, Valens non obstante promisso, accepto libello supplici, admodum stomachatus illum dilacerauit.

CLVIII.

FORSITAN ad hæc omnia respondetur, Liberam Religionem, non Christianam; sed Papisticam, & Romanam euertere, & persequi. Responderi hoc potest: Verumtamen, responsio argumentum non dissoluit.

CLIX.

*Vide Disput.
de vera fide.*

PRIMUM omnium aliquam aliam, præter Romanam, esse veram Religionem atque fidem, probari nulla ratione potest: Romanam vero solam Orthodoxam, Christianamq; esse, tam sunt multa, quæ probant, vt negare sit propemodum hominis amentis.

CLX.

DEINDE, esto vera non sit Romana: quando tamen Libera Religio postulabatur, Romana erat, quæ Christianum orbem occupabat: quare si vlli alteri libertas in Christiano orbe concedenda erat, huic profecto inprimis sua erat relinquenda, nec ex omnibus ciuitatibus ipsa profliganda.

DLXI.

TERTIO, sit quoque vera quæcunque alia Fides, & Religio: sed tamen necesse est, si aliam præter se admittat, & ipsa prorsus intercizat, & loco cedat. Quibus rationibus demonstratum est Romanam euerti à Nouatoribus nostris, iisdem probatur quamcunque occumbere debere, si alia aliqua locum obtineat. Olim, quando profligatis Catholicis, orbis domini erant Ariani vel Macedoniani, statim superueniente alia secta, prior graues persecutiones sustinuit, & tandem oppressa fuit. Modo, vbi Romana exturbata, Lutheri doctrina recepta est; etiam ipsa, ingerente se Zwingliana, gra-
uiter

uiter cœpit laborare. Zwinglianæ cedit Calvinistarum; Horum Puritanæ. Summa, Religio non fert Religionem.

CLXII.

QVOCIRCA cum Noua Fides Romanam persequatur; quæ tot annis Christiana dicta est: cum nullum locum relinquat Lutheranæ: nullum item Calvinistarum, &c. quis non videt, prorsus ad euertendam omnem Religionem facere, atque conari Nouam Fidem, Libertatemque Religionis?

CLXIII.

NOLVMVS hîc, pro argumenti confirmatione, ad hominum mores, qui ob Nouæ Fidei professionem se felices arbitrantur, excurrere: nolumus ipsorum ritus discutere: nolumus curiosius inquirere, vtrum à Barbaris, à Turcis, ab Infidelibus distent; vtrum, præter inane nomen Christianorum, Christiani quidpiam habeant: Ab ipsis nouorum Dogmatum Architectis edocti sumus, cum Noua & Libera Religione, summam Barbariem (quæ vt in Apostasiam degeneret, prorsus necesse est) in Christianum orbem irrepsisse: nihilque tam parui, atque Fidem, fieri; & non raro pro hausto poculo vini commutari.

CLXIII.

QVIS monstrosas, & portentosas opiniones, quæ Libera Religio inuexit, enumeret? An non eò vsque progressa est Libertas, vt de fundamentis Christianæ Fidei disputare impune liceat? Liceat vocare in controuersiam, sitne vnus Deus? sintne tres personæ in diuinis? Fueritne verus filius Dei Christus Dominus? Et quando hæc liberè tractat Libera Religio; quando hæc liberè definit; quando liberè credenda proponit; nullam vim Christianæ Religioni adferri iudicabimus? nihil pati aduersi?

CLXV.

VERISSIME dixisse iudicari debet B. Chrysostomus. *In 2. ad Tim. homil. 4.*
quod qui nouitatibus student, nusquam erroris finem inueniant: sed noua semper commenta, & corruptum dogma

3. Moral. c. 9.

proferant. Ea siquidem est erroris vis, ut sisti nequeat. Nec erravit B. Gregorius, quando hoc dixit Hæreticos habere proprium, quod in eo gradu, in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possunt, sed ad deteriora quotidie ruunt, & sentiendo peiora in multas se partes scindunt, atque à semetipsis plerumq; longius confusionis suæ alteratione diuiduntur.

CLXVI.

DVBITARI non debet, quin tandem in Paganismum, vel Atheismum degeneret Libera Religio. Non pauca huius rei exempla nostra vidit ætas. Plurima olim suppeditauit Oriens. Quemadmodum in deprauatis moribus fieri videmus, ut nisi corrigantur, ad summum vitiorum ascendunt: ita in Fidei dogmatibus, si libertas quiduis credendi concedatur, & semel à vera Regula discedatur, errorum finis nullus est, nisi ad summam impietatem tandem perueniatur.

DISPUTATIONIS SECUNDÆ

CAPIT SEXTVM.

Concluditur ex præmissis Liberam Fidem, & Religionem à Magistratu permitti non posse. Ad quod argumentum confirmandum aliæ rationes adhibentur.

CLXVII. THESIS.

EX dictis, quid ad præcipuam Questionem huius Disputationis, qua de Fidei Libertate quaritur, respondendum sit, non est difficile colligere. Si enim nullus adeo desipit, qui putare debeat ius esse apud Magistratum concedendi, quæ Deo displicent; quæ vtriusq; Testamenti Oraculis contraria sunt: quæ omnibus temporibus à Ducibus Christiane Reli-

Religionis oppugnata sunt : quæ pacem perturbant, & tranquillitatem Rerumpublicarum : quæ Religionis certissimum excidium sunt, & interitus : nullus quoque esse poterit, qui possit putare Liberæ Religionis in Christiana Republica locum nullum esse.

CLXVIII.

SED & idcirco Libera Religio exulare debet ; quia neque sunt, qui illam admittere, siue concedere valeant : neque sunt, quibus concedenda videatur : neque vllæ iustæ satis, ob quas concedi possit, causæ. Ad do quod Magistratibus ob multas causas incumbat, vt vnã tantum veram, atque Orthodoxam tueantur & defendant.

1
2 3
4

CLXXIX.

PRIMUM enim quis Magistratus est, penes quem potestatem hanc constituere possimus ? Ciuilis ne, an Ecclesiasticus ? Ciuilis in causis Religionis definire atque constituere potest nihil ; tantum abest, vt hanc vel illam Religionem probare debeat. Negotia Religionis alterius sunt fori. Ad hunc (vt Imperatori Valentiniano dicebat B. Ambrosius) Palatia pertinent, non Ecclesiæ. Publicorum ipsi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Si quid hîc potest, id est, vt vnã veram atque Catholicam Religionem tueatur & defendat. Vallet hoc Magistratu plus Ecclesiasticus : sed tamen in Religionem dominium non habet. Non potest ipsam pro voluntate mutare : non potest vni alteram sufficere. Religionis est Interpretes, Administrator, Propugnator, Propagator.

Epistol. 33. ad Sororem.

CLXX.

DEINDE, quibus Libera Religio esset permittenda ? Iisne, qui veram atque Catholicam profitentur ? an qui aliam, quæ cum vera pugnat, ipsique contraria est ? Priores Liberam postulare nec debent, nec possunt. Postulantibus respondendum est, Nescitis quid petatis. Postiores

CLXXI

riores vero aut rationibus conuincendi sunt; & vti ad saniora consilia redeant, inducendi: aut scire debent non ipsis, ex sententia Apostoli, Aue dicendum; & se Romanorum Imperatorum iam multis Constitutionibus damnatos esse: tantum abesse, vt in re turpi & impia ipsorum petitioni satisfieri debeat.

CLXXI.

QVÆRITVR etiam, quæ tanta possit esse necessitas, ob quam concedi cuiquam possit? An forte potest postulare Personæ petentis dignitas? An pax & tranquillitas communis, quæ aliter foueri non potest? An diuitiæ & fortunæ, quæ, hac Libertate permessa, maiores in Rempublicam redundabunt? An totius orbis Christiani Seruitus, quæ alioquin per eos inducenda timetur, qui, nisi ipsis Religio sua libera sit, coniuncturi sunt vires cum immanissimis Turcis, omnia & perturbaturi? Nulla satis iusta causa est, quæ libertatem à Magistratu impetrare vel possit vel debeat. Docemus singula.

1
2 3 4
5

CLXXII.

PETAT quicumque volet Liberam Religionem, si iniqua petitio est, concedi non debet. Deferendum quidem est meritis clarorum virorum, inquit Ambrosius. epist. 30. sed Deum certum est omnibus præferendum. Nullius iniuria est, cui Deus omnipotens præfertur. Debent omnes cum Basilio dicere Amicitiam etiam Imperatoris (Valentis) magnam quidem cum pietate iudico: sine hac perniciem potius illam appello. Qui in diuinis, inquit idem, enutriti sunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus, nec vnâ quidem syllabam patiuntur: sed pro his etiam omnes mortis species amplectuntur. Iam vero Libertas, quæ postulatur, ex multis causis iniuissima est; & præterea cum præsentissimo duorum damno coniuncta; primo quidem eius, qui postulat; quoniam res postulata æternæ salutis iacturam adfert: deinde vero eius, qui petitioni satisfacit; quia id concedit, quod diuino humanoque iure concedere prohibetur.

CLXXII.

CLXXIII.

VT alia, quam vna Religione pax conseruari possit, prorsus est impossibile. Præteritis temporibus Religionum multitudinem pax est dissoluta: nostris nondum potuit obtineri. Verissimè dixit Celeberrimus ille Pontifex Leo politicam tranquillitatem cum dissipata Religione non posse constare. Quicumque pacem in Libera Religione ponunt; vel nesciunt quid pax sit, si Catholici sunt: vel si Catholici non sunt; simulata pace, postquam vires suas confirmauerint, pacem exturbabunt. Adde, quod turpi paci iustum & gloriosum bellum sit præferendum. Adde, quod pro Religionis causa probet Christus *Luc. 12.* dissidium inter patrem & filium; matrem & filiam; socrum & nurum: Non veni, inquit, pacem mittere in mundum, sed gladium. Quæso dicatur, Vtrum, si non alia ratione cum Christiani nominis hoste Turca pax haberi potest, nisi deserta prius, & abiurata Religione Christiana, Religio desereri & abiurari possit?

CLXXIII.

QVAM vero indignum est Christianis hominibus, vt Religionis dispendium faciant, ob quascunque opes, atque fortunas vel conseruandas vel comparandas? Potestne vlla commutatio iusta esse pro anima? Docuit natura serpentes, vt totum corpus icibus obijciant, quo caput saluum conseruent: Nos caput, id est, Religionem, in discrimen conijciemus, vt vel caudam, id est, res minimas, quæ miseros potius, quam foelices mortales efficiunt, conseruemus? Vult Dominus & manus & pedes abscindendos; & oculos potius eruendos; quam vllum ab ipsis ad animam detrimentum venire; tantum abest, vt saluis fortunis velit animorum perniciem.

CLXXV.

FORSITAN ad excutiendum grauissimum seruitutis Turcicæ iugum potest Libera esse sua cuique Religio. Sed nec hæc causa Magistratum mouere debet. Primum enim non facile debet sibi persuadere Magistratus, tam perditis moribus

ribus Christianos homines esse posse, vt Christiano nomini infestissimo hosti Rempub. Christianam prodere velint; & non tantum alijs, sed sibi quoque grauissimam seruitutem imponere. Deinde esto, possit esse, & sit tam peruersa Christianorum voluntas; necdum tamen ad euitandam Turcicam Tyrannidem potest Magistratus Liberam, id est, aliam, quam Catholicam Religionem concedere, & approbare: propterea quod hæc res de eorum genere sit, quæ fieri nulla ratione possunt.

CLXXVI.

QVOD si forte in Religionis causa non ita quiuis, quod dicimus, perspicit; en docemus exemplis similibus. Quærimus, Possitne Magistratus vllus prædonibus liberam facultatem facere vias obsidendi, & quosuis transiunt occidendi, certa sibi proposita Turcica seruitute, ni facultatem faciat? Rursus quærimus, Possitne ob similem causam filio concedere potestatem, vt patrem iugulet? aut patri, vt filium trucidat? Item, Possitne adulteris libertas tribui per vllum Magistratum, vt pro libidine cuiuslibet thorum violent? Si nullum tantum bonum est, ad quod assequendum; si nullum tantum malum est, ad quod euitandum hæc concedi possunt: ad euitandam Turcicam tyrannidem, & consequendam fœdam libertatem libera debet esse sua cuique, quatumuis falsa & profana, Religio?

CLXXVII.

MALVM forte tantum non est Noua Liberaq; Religio, quantum homicidium, quantum parricidium, quantum adulterium. At multo grauiora sunt, quæ in Deum, quam quæ in homines committuntur peccata. Illa in homines committuntur flagitia; hæc in Deum tendit iniquitas & perfidia.

CLXXVIII.

QVÆRIMVS etiam, Vtrum ad Paganismum, vel Mahometis superstitionem complectendam satis esse possit, spes euadendi Turcicam tyrannidem. Si hoc nullus iudicat; profecto non potest satis magnus & iustus esse metus, vt aliam, præter

præter vnā Religionem teneamus. Alterius fidei, quam vnus
Catholicæ, professores non honestiori, quam Idololatrias, loco
habendos esse supra demonstraui.

*Thesi. 35. se-
cunda Disput.*

CLXXIX.

NULLVS igitur est, qui Liberam Religionem conce-
dere possit. Nullus, cui possit: nulla causa, ob quam
possit concedi. Adde quod rem quoq; egregiam præsent Mag-
istratus, si vnā Religionem manu teneant, vrgeant, defen-
dant, promoueant. Huius ipsos officij ratio, huius sibi com-
missorum subditorum salus, huius diuinæ literæ, huius egregia
exempla eorum qui præcesserunt, huius insignes fructus, qui
hinc expectantur, huius præsentissimum animarum pericu-
lum, quod subeunt, nisi vnā tueantur, atque pro viribus de-
fendant, aliaque non contemnenda mala, denique summa rei
indignitas commonefacere debent.

1
2 3
4
5 6
7

CLXXX.

QVOD affirmamus, de Magistratu Ecclesiastico dubium
non est; vt cui imprimis animarum salus, quæ à vera Re-
ligione pendet, commendata est. Ciuilis vero meminisse debet,
non se iura ciuium tantum, fortunas atque corpora tueri; sed
sibi in Rempublicam Christianam potestatem factam: & ad
vnā veram fidem protegendam, atque promouendam, Ec-
clesiasticasque constitutiones tuendas, gladium accepisse.

CLXXXI.

VULT Dauid etiam Reges Domino seruire in timore. *Psal. 2.*
Quomodo vero, inquit B. Augustinus, seruiant in ti- *Epist. 50.*
more, nisi ea, quæ contra Domini iussa sunt religiosa seue- *Lib. 3. cap. si*
ritate prohibeant & plectant? In timore seruiunt, inquit ali- *contra Cresc.*
bi, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant; non solum,
quæ pertinent ad humanam societatem, verumetiam quæ ad
diuinam Religionem. Idem Augustinus docet Reges bene de *Lib. 2. contra*
Domino sentire, quando ad suam personam pertinere iudi- *Gauden. epist.*
cant, ne Hæretici aduersus Ecclesiam rebellent impune. Idem *cap. 20.*

L 2

iudicat

Epist. 50.

iudicat non mente sobrios, qui Regibus dicunt, Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri. non ad vos pertineat, in regno vestro, quis velit esse Religiosus, siue Sacrilegus.

CLXXXII.

ET fortunarum tantum, atque publicę tranquillitatis curatores essent Magistratus; & nulla ipsos salutis sibi subditi gregis cura tangeret? Tanto magis salutis animæ commendata esse debet; quanto hæc quibuscunque vel corporum, vel fortunæ bonis præstat: immo quia longissimo post se interuallo illa relinquit vnum animorum bonum; hoc non solum illis præferendum est, sed & pro eodem omnia in præsentissimum discrimen conijcienda sunt.

CLXXXIII.

*Ezech. 34.**Hebr. 13.*

PERIRE non potest subditus ipsis grex, quin ipsi quoque rei agantur perditæ ipsorum salutis, si per ipsos stetit, quod perierit: siue ipsi in discrimen salutis adduxerint, siue periculum, quod cauere potuerunt, non auerterint. Sanguinem gregis de pastorum manibus solet Deus requirere; & (vt loquitur B. Paulus) ipsi (præpositi) peruigilant, quasi rationem pro animabus reddituri in tremenda illa die.

CLXXXIIII.

QVOT ex diuinis literis produci possunt testimonia, quibus, vt commissi sibi gregis bonum salutemque promoueant, admonentur? quot, quibus, si in aduigilando remissi fuerint, grauitè arguuntur? quot, quibus commendatur studium atque diligentia eorum, qui subiectum gregem curant? quot, quibus splendida præmia proponuntur ijs, quorum labore vel ope salus est procurata? Et hæc quidem omnia Magistratus sibi dicta esse existimare debent, ne ipsorum in proximi salute promouenda, opera desideretur. Terrere ipsos debet suppliciorum metus, si officio suo desint: Ne desint prouocare laus, & excitare proposita præmia.

SED

CLXXXV.

SED nec desiderantur egregia exempla, tam in Iudæorum gente, quam populo Christiano; quorum pro vera & vna Religione tuenda atque propaganda studium & industria, non paruum calcar Magistratibus addere debet. In Iudæorum populo sunt Gedeon, cuius virtus in vastato Baal templo enituit: Propheta Semeias, quem non Regia deterruit potentia, cur minus, ob vnam fidem violandam, futurum supplicium denunciaret: Helias, qui aliam Religionem inducentes, quadringentos & quinquaginta falsos prophetas iugulauit: Ioas, cuius in renouando, pro vero cultu templo pietas commendatur: Amasias, cuius egregia extant & præclara gesta, quamdiu vnam Patrum suorum Religionem coluit: Ezechias, qui ob restitutam Religionem clarus est: Iosias sacrarum literarum testimonio commendatus, quod vni Deo iuxta omnem legem Moyfi adhererit: Matthatias & filij eius, quorum pro fide tuenda constantiam & inexhaustos labores nulla delebit obliuio. Porro in Christiana gente sunt Constantinus Magnus, Iouinianus, Theodosius, Valentinianns, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Fridericus Primus, Conradus, Henricus Sanctus, Otthones, Rodolphus Primus, Carolus Quartus, Carolus Quintus: à quorum exemplo, quemadmodum turpe est degenerare; ita gloriosum, ipsorum virtutem, atque pro fide Catholica tuenda studium æmulari.

*Iudicum 6.**3. Reg. 13.**3. Reg. 18.**4. Reg. 12.**4. Reg. 14.**2. Paral. 30.**4. Reg. 22.**1. Machab. 3.**5. &c.*

CLXXXVI.

FRVCTVS, qui hoc Magistratus studium sequuntur, vberissimi sunt simul, & pulcherrimi. Hos breuiter attingisse suffecerit. Primus est pax interna, quam gaudium cordis (quo maius esse non potest) dicere possumus. Hoc necesse est perfruantur Magistratus, quando ipsis sua conscientia certissimum testimonium præbet, quod in re, quam Deus in primis postulat, suam operam collocent. Alter est animorum maximum lucrum, quod partim ad Magistratum redit ob præstitum fideliter Christiani Magistratus officium, partim ad eos, qui Magistratus imperia excipiunt, quod superiorum dicto obedi-

Ecclesiast. 30.

L 3

dientes

Capit. 3. huius
Disputationis.

dientes in ea Religione perseverant, quæ suis cultoribus amplif-
sima futuræ vitæ præmia largitur. Tertius est tranquillitas Re-
rumpublicarum : quemadmodum enim necesse est illas cum
dissoluta Religione dissolui ; ita si quæ aliæ, illæ imprimis opta-
ta pace frui possunt, quibus vna Religio est, eadem Fides, &
non dissentiens diuinus cultus. Hunc sequitur quintus, fortu-
narum, inquam, & opum incrementum. Verissimè enim dixit
ille, Concordia res parvæ crescunt, discordia magnæ dilabun-
tur. Quintus est summa, quam quidem experiuntur fideles, licet
eius causam ignorent, voluptas. Siquidem cum vna Religione
vnius externus ritus coniunctus est, similia sunt omnium studia.
Hæc vero quanta suos sectatores voluptate afficiant, quis ex-
plicauerit ?

CLXXXVII.

Epistol. 50.

DEBET quoque Magistratus commonefacere gravissimum
salutis periculum, quod subeunt, nisi vnam tueantur,
atque defendant pro viribus Religionem. Meminisse debent se
non homines tantum, sed etiam Superiores esse, ut alicubi pul-
chè philosophatur B. Augustinus : & propterea non sufficere,
si Christiani hominis officium præstent ; sed etiam requiri, ut
Superiorum muneri faciant satis, subiectumque sibi populum
tueantur, conseruent, promoueant.

CLXXXVIII.

PRÆTEREA, non potest non hæc Libertas, vbi admissa
fuerit, ostium aperire ad gravissima mala, & dissoluen-
dum omnem, quantus ille est, Christianæ Reipublicæ ordinem
atque politiam. Hoc sibi persuadere possunt omnes, non tan-
tum Religionis, sed omnem omnino libertatem postulari, id est,
hoc hac Libertate quæri, ut, excusso omnis Magistratus iugo,
liceat, quod liber.

CLXXXIX.

Thom. 21. q.
81. art. 7.

QVID ita ? Quia si Libera obtineatur Religio, libertas quo-
que permilla est exterioris cultus (ne dicam hunc vnum
postulari) si vero hæc Libertas obtineatur ; licebit quos placebit,
Reli-

Religionis habere Ministros, Tempora, Tempora, Ceremonias, & his similia : Oportet igitur ad hæc omnia conueniat Magistratus ; oportet nihil, quantumuis illud paci contrarium sit, arguat, puniat, abroget.

CXC.

NEC his terminis contenta erit Libertas : Vtius tendet. Voleat quoq; à ciuilibus negotijs esse absoluta. Quomodo id quæso ? quoniam postquam Libera Religio erit permilla, quæcunq; illam promouere possunt, censentur esse permilla : quæcunq; impedire, sublata. At in ciuilibus negotijs poterunt esse multa, quæ Religionis Liberae exercitium impediunt ; ab illis igitur liberi esse volent Liberae Religionis Assertores : poterunt esse multa, quæ illam promoueat, & tamen ciuilia negotia secum non patiantur ; hæc ergo sibi volent permitti. Quid inde ? quid ? hoc vnum, vt plena absolutaq; Libertas & licentia cum Libera Religione concedatur.

CXCI.

ADDO quod suspicari liceat, non de vnus tantum fidei, sed spei quoque, & charitatis libertate agi. Non enim fide tantum ; spe quoq; & charitate Religio Christiana nititur : quare cum fide Libera ; & spei, & charitatis Libertas permilla iudicabitur. Porro si & libera potest esse spes ; & libera charitas, quid non barbarum, insolens, tragicum, turcicum, satanicum in Christianam Rempub. inuehere licebit ?

CXCII.

PHILOSOPHANDO forsitan, & animi gratia nos hæc dicere posset quis cogitare, nisi experientia iam edoctus esset Christianus mundus, rem se ita habere. Vbicunq; Libera Religio permilla est, horum quæ diximus luce meridiana clariora sunt argumenta. Exemplo sint abrogata in amplissimis Rebuspub. statuta, sublatae leges, & cum legibus boni mores, ciuilitas, honestas, beneuolentia, &c.

CXCIII.

DEniq; si iam dictorum, nihil esset, quod Christianam Magistratum posset commouere, summa tamen rei indignitas, quæ cum hac Libertate coniuncta est, non leue apud ipsum pondus habere debet. Dignumne censebimus, vt cum suas leges non velint esse liberas Imperatores; nec suas Domini, aut patresfamilias; solæ Deileges, sola DEI Religio, solus diuinus cultus liber esse debeat? Hic solum liceat Christianis quod libet; non vero liceat filijs, non seruis, non subditis vel latum vnguem à Superiorum suorum statutis declinare?

DISPUTATIONIS SECVNDÆ
CAPVT SEPTIMVM.

Probatnr Magistratum pro vna vera Religione tenenda, & ad Liberam suis ditionibus profligandam posse vim externam, atq; armatam manum adhibere.

CXCIIII. THESIS.

IVRIS & æquitatis, non facti Quæstio est, qua de potestate Magistratus quæritur, quid possit pro vna Religione contra Nouatores. Æquitatem vero causæ cuiusque primum rei ipsius conditio, tum deinde leges vel humanitus, vel diuinitus institutæ probant. Rerum quoq; gestarum exempla hic magnum momentum habere solent. Neque enim dubitate solemus, quin æquissima sint, quæ plurium sæculorum consuetudine sunt confirmata, & quæ duces atq; authores habent viros sapientia claros, & potestate illustres.

CXCV.

EX tribus igitur deprehendere licebit, Vtrum Magistratus pro vna Religione tuenda, & ad Liberam suis ditionibus profligandam vim adhibere possit; ex rerum gestarum historia:
exle.

1
2
3

ex legibus : & ex rei natura atque condicione. Et quidem si horum vno se Magistratus tueri posset, nulli esset relicta iusta occasio ipsum calumniandi : quando vero hæc omnia pro se habet, quemadmodum habere demonstrabimus, iustissimam esse debet quisque iudicare vim, si qua, pro prisca & vna Religione tuenda, & proscribenda Libera, vri vellet.

CXCVI.

EXEMPLA habet multa & magna ; recentia & vetera ; domestica & externa, non à viris tantum Ecclesiasticis ; sed ijs quoque, qui amplissima Imperia, & insignes Respublicas administrarunt, petita : quæq; non veræ, sed profanæ etiam, & superstitiosæ Religionis cultores præbent.

CXCVII.

PRO omnibus sufficiunt, quæ veterum historia suppeditat. Arianis prohibuit Constantinus Magnus, ne publicos priuatosq; conuentus agerent ; si quos vellent, haberent communes cum Orthodoxis. Exemplum Constantini sequutus Theodosius Imperator. Vtriusque Gratianus, qui à Valente homine Hæretico concessas Ecclesias repetijt ; mandauit quoque, vt vel vnã profiterentur fidem, vel scirent se non alio, quam Hæreticorum loco habendos & puniendos.

Vide cap. 3. secundæ Disput.

CXCVIII.

EVSEBIUS, Theognides & Arius, quod cum Catholicis nollent consentire, in exilium missi sunt à Constantino : Nestorius à Theodosio Iuniore : Eutyches à Martiano. Episcopatu vero deiecti sunt Paulus Samosatenus ab Aureliano Imperatore ; à Iustiniano Anthemius Episcopus Constantinopolitanus.

CXCIX.

SIC tota Gallia Arianos expulit Rex Clodoueus : tota Hispania Alphonsus Rex Gallitiæ. Eosdem omni militia priuauit Recharedus Rex Hispaniæ, nec vllum permisit obire liberi hominis officium. Manichæos in vrbe repertos exilio mulctauit

Genebrardi Chronolog.

M

Gela-

*Anton. 3. p.
tit. 19. c. 1.*

Gelasius: eosdem omnibus suis bonis spoliavit Imperator Theodosius. Albigenfium ad feptuaginta millia cum ipforum Rege fustulit, Comes à Monteforti: captos vero ex ijs centum & octoginta, cum ad Catholicam fidem redire nollent igni tradidit cremandos: fic Hufsitæ nec paruas, nec paucas fape ftrages in Bohemia experti funt.

C C.

*De persecut.
Anglicana.*

HÆC pro vera Religione exempla. Non pauciora funt pro falſa; quæ tamen & ipſa noſtram cauſam probant. Noſtris temporibus qui aliam Religionem profitentur præter Catholicam, id eſt, qui vel Zwinglij, vel Lutheri, vel Caluini dogmata ſectantur; an non ad ſuam, quam tenent Religionem tuendam, vim externam adhiberi poſſe cenſent? & in eos, qui aliam tenent, iudicant grauiſſimis proſcriptionis, exilij, bonorum conſiſcationis, perpetui carceris, mortis denique cenſuris, & pœnis aduertendos? Vt de alijs ditionibus nihil dicatur, vel in vno Regno Angliæ hoc probant tot in Catholicos conſtitutæ ſanguinariæ leges, tot de innocentibus quæ ſumuntur ſupplicia, tot proſcriptiones, tot fortunarum atq; bonorum conſiſcationes, tot carceres, &c. quas quidẽ pœnas potiſſimi proceres ſubterfugere poſſunt, & nuper experiri debuit. Illuſtriſſima Scotiæ Regina.

C C I.

*Supra Theſi
97. &c.*

OLIM hoc Arianorum, Macedonianorum, aliorumq; Nouatorum ſtadium fuit, vt quacunq; poſſent vi, alterius Religionis aſſertores tentarent, & ad ſuam pellicerent: Sed nec ſedes certas habere paſſi funt, nec vita iſdem ſatis potuit eſſe tuta, quam diu non cum ipſis communicarent. Quod dicimus, ſupra oſtendimus.

C C II.

PORRO magnum hinc argumentum ad vnam veram Religionem vi externa vrgendam atq; promouendam Magiſtratus capere poſſunt. Quod olim licuit Chriſtianiſ Imperatoribus, id in ſimili cauſa ſine crimine modo non licebit noſtris Magiſtratibus? Noſtris temporibus & prioribus, Pſeudo-chriſtiani ad perfidiam ſuam tuendam & propagandam, vim, carceres, mutilatio-

tilationes, rotas, cruces, ignes, aquas adhibere potuerunt: & pro Catholica Religione defendenda & manu tenenda hæc iudicabuntur prohibita? si Calvinistæ, si Lutherani, si Zwingliani possunt suos vi cogere, ne alia quam Nouorum hominum dogmata teneant atq; profiteantur; non possunt cogere Catholici vt sibi subiecti fidem illam teneant, Religionemq; colant, quam solam veram, Orthodoxam atq; Christianam certissime norunt.

CCIII.

OMISSIS exemplis, consulamus Leges & Iura; & primum quidem diuinum. Profecto hoc plurimis locis sui officij serio admonet Magistratus, Gladium hi à DEO acceperunt: si igitur suo officio volunt facere satis, necesse est gladio aliquando vtantur; necesse est in virga aliquando cum Beato Paulo veniant; necesse est metu supplicij commendatam sibi Religionem conseruent, quam facilioribus rationibus apud suos saluam & incolumem habere non possunt. *1. Corinth. 4.*

CCIIII.

IDEM ius pœnam mortis in eos constituit, qui Sacerdotis voci obtemperare recusant. Qui superbierit, inquit Dominus, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille; & auferes malum ex Israël. At qui præter vnâ Catholicam fidem aliam vel petunt, vel profitentur, non Sacerdotis tantum, sed totius quoque Ecclesiæ vocem contemnunt: potest igitur in ipsos aduertere Magistratus; potest vi adhibita ad saniora consilia reuocare. *Deuter. 17.*

CCV.

IUS diuinum est hæc Domini Oratio. Si audieris in vna vrbum tuarum, quas Dominus Deus dabit tibi, dicentes aliquos, Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ atque dixerunt, Eamus atq; seruiamus Dijs alienis, quos ignoratis: quære sollicitè; & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam; statim percuties habitatores *Deuter. 13.*

M 2

vrbis

urbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaque quæ in illa sunt vsque ad pecora. An non lege hac ius in Pseudofideles permiffa est?

CCVI.

Exod. 22.

IDEM ius Magistratibus permittit gladium. Maleficos, inquit, non patieris viuere. At fidei femel traditæ doctrinam, iuraq; violantes, & Christianam Remp. perturbantes, & proximorum salutem euertentes, id est, nouorum dogmatum Assertores, si Malefici non sunt, qui tandem sunt dicendi Malefici.

CCVII.

Leuit. 24.

ET in blasphemos mortis supplicium diuino iure constitutum est. Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur, inquit Scriptura, lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Possunt igitur mortis metu suos ab Hæresi, & alia quacunque, quæ vera non est, fide auocare Magistratus. Nisi forte in Deum blasphemos quis velit negare eos, qui sprete Maiorum Religione, Christianaque fide, iudicium suum totius Ecclesiæ sententiæ præferre præsumunt. Profecto si blasphemus non sunt, in Deum insigniter sunt contumeliosi.

CCVIII.

Matth. 18.

MITIS est Spiritus Christi. Ita est: Sed tamen etiam in eos, qui Ecclesiæ vocem audire recusant admodum est seuerus. Grauisima lege constituit tales, non alio, quam Ethnicorum & Publicanorum loco habendos esse: leues existimans omnes pœnas, quæ à Magistratibus secularibus afferri possunt: quoniam, vt B. Augustinus testatur, in Ethnicorum & Paganorum numero esse grauius est, quam gladio feriri, quam bestijs subigi, quam flammis absumi.

Lib. 1. contra
aduersariū legis
& prophetarum c. 17.

CCIX.

Matth. 18.

LIGANDI & soluendi potestatem esse in Ecclesia nemo dubitat. Christi sententia est; Quicquid solueritis super terram, erit solutum & in cœlo; Quicquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlo. Iam vero ligant Magistratus, primum

num quidem dum leges imponunt (lex enim quoddam ligamen est) tum deinde, in transgressores pœnas constituendo, & exigendo. Lege igitur Christiana Magistratus ad Fidei leges seruandas subiectum sibi gregem compellere posse manifestum est.

CCX.

ET Dominus, postquam Petro in Ecclesiam vniuersam potestatem tradidit, præcepit; vt oues atque agnos pasceret, id est, regeret, vt optime exponunt Sancti Patres. Quod si regere potest Petrus; potest leges iustas sancire; potest ad legum obseruationem metu pœnarum cogere; potest de Legum violatoribus iusta supplicia sumere. His enim rationibus subiectos populos regi, vna omnium sententia est. *Ioan. 21.*

CCXI.

HACTENVS diuinum ius. Humanum vero tantum habest, vt prohibeat; vt vel imperare arma videatur: & præterea in eos aduertere, qui quam possunt, vnam veram Catholicamque Religionem non tuentur atque defendunt.

CCXII.

PARVM est Romanis Imperatoribus, quod fideles in auita Religione contineant publica illis proposita, ni pareant, infamia: parum est, quod rebelles donandi, emendi, vendendi, contrahendi potestate priuent: parum est, quod nolint esse facultatem Testamenta condendi: eosdem quoque voluerunt terrere bonorum omnium confiscatione, exilio, Romani Imperij proscriptione, morte, &c. quæ omnia ita esse, demonstraui-
De vocatione Ministrorum.

CCXIII.

SIC Ecclesiasticus Magistratus ad suos in vera Religione conseruandos non putauit sufficere, si aliorum ipsis communionem & conuersationem interdicit; priuet communibus Ecclesiæ suffragijs; ad publica officia non admittat: vult eos quoque bonis exui; viuos & mortuos communi Christianorum sepultura carere. *Ibidem.*

*Sup. Thes. 92.
secun. Disput.*

NEC his quantumuis grauisimis supplicijs vterque Magistratus contenti fuerunt. In eos quoque, penes quos in rebelles aut facinorosos ius aduertendi esset, graues pœnas statuerunt, si suum ipsi in hac re officium non præstarent. Id quod vel vna Friderici Imperatoris Constitutio docet, quæ sic habet. Statuimus edicto in perpetuum valituro, vt Potestates, Consules, seu Rectores quibuscunque fungantur officijs pro defensione Fidei præstent publice Iuramentum, quod de terris suæ ditioni subiectis, vniuersos Hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus suis exterminare studebunt; ita quodammodo, quandocunque quis fuerit in potestatem, seu perpetuam, seu temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum firmare iuramento; alioquin neque pro Rectoribus habeantur; eorumque sententias ex tunc irritas iudicamus & inanes.

CCXV.

IURE igitur nullo Magistratibus vis prohibita est: iure omni permessa est. Permittit eandem res ipsa. Si pro focis; cur non pro aris arma sumi possunt? si pro fortunis; cur non pro Religione cultuque diuino?

CCXVI.

Epist. 30.

POSSUNT Magistratus pacem & tranquillitatem suorum Ciuium defendere: Possunt contra eos, qui pacem interturbant, si ita necesse est, vim adferre: Et omnis vis prohibita erit in Religionis profanatores, per quos pax vnitasque Ciuium consistere non potest? De negotijs Ciuilibus si quid statuitur, inquit B. Ambrosius, nemo putat esse temerandum, & præceptum de Religione calcatur?

CCXVII.

POSSUNT filios suos disciplinæ metu à perditis moribus peccandique licentia deterrere Parontes: Possunt Magistratus Ciues à conuicijs & contumelijs, constituta certa pecuniaria pœna auocare: Possunt Duces milites prohibere à rapina
& cæ.

& cœdibus propositis crucibus & rotis: Deniq; ad omne malum prohibendum vis potest adhiberi; & non poterit ad euitanda grauisima, qualia sunt, quæ Religionem concernunt? Facinora & flagitia iustis legibus comprimi vtilissimum & saluberrimum est; inquit B. Augustinus: quæ ad diuinam Religionem pertinent relinquenda sunt libero arbitrio? Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem: sed nec bonam infructuosam, nec malam esse voluit impunitam.

*Lib. 4. contra
Crescomum
Gram. cap. 51.*

CCXVIII.

NON inuenitur dicet aliquis, exemplum in Euangelicis & Apostolicis literis, à Regibus aliquid simile in negotio Religionis pro Ecclesia, contra inimicos Ecclesiæ esse factum. Respondemus cum Augustino. Quis negat, inquit ille, non inueniri? Sed nondum implebatur illa propheta: Et nunc Reges intelligite; & Erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore. Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Psalmo paulò superius dicitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Verumtamen si facta præterita in Prophetis libris figuræ fuerunt futurorum: in Rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, vtrumq; tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando Rex memoratus pios & iustos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammis mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem Rege figuratum est, cum conuersus ad honorandum Deum verum, decreuit in regno suo, vt quicumq; blasphemaret Deum Sidrac, Misac & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius Regis: significabat priora tempora Regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impijs: Posterius vero tempus illius Regis significauit tempora posteriorum Regum iam fidelium, quos patiuntur impij pro Christianis. Hæc B. Augustinus.

*Epist. 48. ad
Vincentium.*

Daniel. 3.

DISPV.

DISPUTATIONIS SECVNDÆ
CAPVT OCTAVVM.

Docetur necessitatem incumbere Magistratibus, vt, si alia ratione non possint, vi suos in vna vera Religione contineant, & quamcumq; aliam profligent.

CCLXVIII. THESIS.

PRIORI Capite quid possit Magistratus; hic quid pro suo officio debeat & teneatur prestare, quaeritur. Qui Friderici supra dictam Constitutionem volet attendere, & rem ipsam penitus introspicere, in has facile cogitationes descendet, vt omnino iudicet necessitatem incumbere Magistratibus, vt vnā Religionem tueantur, & huic contrariam oppugnent.

CCXX.

c. Extommunicam^o. s. Adijcimus. De Hæret.

HOC poterit confirmare Canon Innocentij III. qui sic habet. Adijcimus insuper, vt quilibet Archiepiscopus vel Episcopus, per se aut per Archidiaconum suum, aut alias honestas, idoneasque personas bis aut saltem semel in anno propriam Parochiam, in qua fama fuerit Hæreticos habitare, circumueat; & ibi tres aut plures boni testimonij viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam iurare compellat: quod si quis ibidem Hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos Episcopo studeant indicare. Ipse autem Episcopus ad præsentiam suam conuocet accusatos: qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purgationē exhibitam, in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè puniantur. Si qui vero ex ijs, iuramenti Religionem obstinatione damnabili respuen-

spuentes iurare forte noluerint, ex hoc ipsi tanquam Hæretici reputentur. Volumus itaq; & mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda, Episcopi per Diæceses suas diligenter inuigilent, si canonicam velint fugere vltionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diæcesi Hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis indicijs apparuerit: & ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit Hæreticam confundere prauitatem.

CCXXI.

CVm Innocentio & Frederico consentit Lucius PP. Statuimus, inquit, vt Comites, Rectores, & Consules ciuitatum, & aliorum locorum iuxta commonitionem Episcoporum præstito corporaliter iuramento promittant, quod fideliter & efficaciter, cum ab ijs fuerint requisiti, Ecclesiam contra Hæreticos & eorum complices adiuuabunt bona fide, iuxta officium & posse suum. Si vero id obseruare noluerint, honore quem obtinent, spolientur, & ad alios nullatenus assumantur: ijs nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Ciuitas autem quæ his institutis duxerit resistendum; vel contra commonitionem Episcoporum punire neglexerit resistentes, & aliarum careat commercio ciuitatum: & Episcopali se nouerit dignitate priuandam. Si qui vero fuerint, qui à lege Diæcesanæ Iurisdictionis exempti soli subiaceant sedis Apostolicæ potestati; nihilominus in his, quæ sunt contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & ijs in hac parte, tanquam à sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatis suæ priuilegijs, obsequantur, &c.

Ibidem c. ad abolendam.

CCXXII,

SVB anathemate quoq; Concilium Lateranense prohibet, ne quis eos in domo, vel terra sua tenere, vel fouere, aut negotiationem cum illis exercere præsumat.

Sub Innocentio III.

CCXXIII.

ADDE quod ex diuinis litteris hæc videantur posse demonstrari. Incumbebat necessitas Iudicibus apud Iudæos,

N

daos,



Deuter. 17.

daos, ut in eos extremo supplicio animaduertent, qui superbe Sacerdotis vocem contempserunt. Neque enim tantum quid possent; sed etiam quid præstare oporteret Iudices, constituerat DEVS: Quando ego Sacerdotis & Ecclesiæ vocem recusant audire Nouatores, omnino ut audiant compellendi videntur.

CCXXIII.

Exod. 22.

PRÆTEREA, certum est impunitatem Maleficis sine crimine concedi non potuisse. Id primum ostendit DEI præcipientis oratio, deinde confirmant pœnæ, quas qui dissimulandum aliquando cum iisdem putauerunt, graues dederunt: Quocirca cum non alio, quam Maleficorum loco haberi possint Nouatores; possuntne sine crimine esse Magistratus, si in hos, pro officio suo, non animaduertunt?

CCXXV.

Ezechiel. 34.

DENVNCIATUR Væ Pastoribus, apud Prophetam Ezechielem, qui quod infirmum est non consolidarunt, quod ægrotum non sanauerunt, quod abiectum non reduxerunt, quod perierat non quæsiuerunt: De ipsorum manibus dicitur requirendus sanguis perditarum, & per montem dispersarum ouium. Quid vero? An sanguis exquiri potest de Pastorum manibus; an potest in ipsos redundare æternum Væ, si gregem conseruandi nulla necessitate constringuntur? Aut si constringuntur, an quæ aliam fidem, quam vnâ Catholicam profitentur, ægri non sunt, ut sanari non debeant: non abiecti, ut non debeant reduci: non perditæ, ut non quæri: non infirmi, ut non consolidari?

CCXXVI.

Ioan. 21.

QVÆRIMVS etiam, An incubuerit necessitas beatissimo Petro, ut gregem Christi pasceret, & regeret? Incubuisse certum est. Quemadmodum B. Paulo prædicandi euangelij est demandata prouincia; ita D. Petro cura Christi gregem pascendi commendata fuit. At disertè confitetur ille, necessitatem sibi impositam esse; Væ mihi, inquit, si non euangelizauero; necessitas mihi incumbit. Non igitur non debuit gregem pascere Petrus. Verum qui pascit, nisi rigorē quandoq; disciplinæ addat; nisi cogat aliquando metu pœnarum, non faciet satis suo muneri.

1. Corinth. 9.

CCXXVII.

CCXXVII.

INVTILEM seruum, & qui Domini sui bona dissipavit, *Matth. 25.*
ligatis manibus & pedibus Christus vult in exteriores
tenebras deturbandum. At maiora bona Christus non ha-
bet, quam hominum animas. Si igitur per Magistratum con-
niventiam stat, quod horum bonorum iacturam faciat (stare
autem permessa falsa Religione certū est) Magistratus extra omne
periculum subeundarum exteriorum tenebrarum esse nequeunt.

CCXXVIII.

HORTATVR alicubi fideles D. Paulus, vt Præpositis *Habr. 13.*
obediant; quoniam ipsi peruigilent, quasi rationem red-
dituri Deo. Si necessitas Præpositis non incumbit, vt suos in fi-
de, & in Christiani hominis officio contineant: cur terret A-
postolus futuri iudicij horrendo examine? An forte criminis rei
agi possumus, si quæ vt faciamus, in nostra libera voluntate
positum est?

CCXXIX.

REPREHENDITVR Angelus Pergami, quod haberet
apud se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum. Re-
prehenditur Angelus Thiatyræ, quod permetteret Iezabel sedu- *Apocal. 2.*
cere seruos Dei. Si iusta est reprehensio, vt est iustissima, neces-
sitas Angelis incumberebat tollere tenentes doctrinam Nicolaita-
rum, & ijs, qui seruos Dei seducerent locum apud suos negare.

CCXXX.

MEMINISSE debent Magistratus se duplicem perso-
nam sustinere; publicam, & priuatam: id est, & homi- *Vide August.*
nes esse, & cum autoritate alijs præesse; & ob id non sufficere, *epistol. 50. ad*
si probè Christiani hominis officium præstent; requiri præterea, *Bonifac. circa*
vrantur potestate: nec minus hîc vitam salutemque periclitari, *medium.*
si suo officio desint, quam si Christiani hominis munus negli-
gant, vel intermittant: Verissima est D. Gregorij sententia: Vbi
subiectus ex Prælati culpa moritur; ibi is qui præest, quoniam
tacuit, reus mortis tenetur.

Cap. 4. huius
Disputat.

TENENTVR Magistratus Reipublicę pacem, quantum fieri potest conseruare : Tenentur igitur eos, qui pacem perturbant, corrigere. Neque enim pacem conseruare dicendi sunt, si pacis violatores non corrigant. At cum dissoluta Religione pacem non consistere, iam saepe dictum est, & demonstratum.

CCXXXII.

2. Timoth. 2.

De præscript.

TENENTVR malum tollere, per quod proborum salus, lædi, periclitari & perdi potest. Iam vero hæc non potest non periclitari, lædi, & perdi, si impunè inter probos, & de vera Fide bene sentientes conuersari liceat Nouatoribus : quoniam sermo eorum vt cancer serpit, inquit ille : & negotium est Hæreticis (verba sunt Tertulliani) non Ethnicos conuertendi, sed nostros peruertendi. In ipsos igitur necesse est sua potestate vtantur Magistratus.

CCXXXIII.

HANC necessitatem tantum pondus apud se habere debere existimare possunt Magistratus ; vt hoc onere ipsos non valeat liberare aut personæ petentis dignitas, aut temporum conditio, aut exempla eorum, qui aliquando dissimulandum censuerunt, aut spes quantumuis ingentis lucri, quod vel in Rempublicam, vel in priuatum Magistratus commodum redundare possit. Si quæ causa est, sola est, quæ legi satisfacere nequit, impotentia.

CCXXXIIII.

QVANDO enim eousque malum creuit, vt ad ipsum extirpandum vires Magistratus sufficientes non sunt; viuero atque rigore disciplinæ non nisi Reipub. perturbatio, Religionis excidium, aliaque his similia non contemnenda mala certo expectantur, potest permitti, quod tolli non potest.

CCXXXV.

SED tamen hîc tribus modis contingit peccare Magistratus. Primùm, si promittant illam se quæ petitur, Religionem atque

atq; Fidem protecturos. Deinde, si polliceantur nullo vnquam tempore eandem persecuturos. Tertio, si quando iusta causa nulla est, iustam tamen prætendunt esse, ob quam se dissimulare affirmant.

CCXXXVI.

PRIMOS à peccato excusare non possumus: quoniam Libera Religio eorum genere est, quæ per se mala sunt; & propterea ob nullum finem permitti possunt. Quo iure, quæso, possunt Magistratus, quibus, vt virtutem tueantur, & vitia persequantur, impositum est falsæ Religionis tutelam, atque defensionem suscipere? Nec vsurarios, nec meretrices, quorum tamen leuius crimen est, iure tueri possunt.

CCXXXVII.

SECUNDORVM culpa minor est: sed tamen tanta, vt indigna sit Magistratibus Christianis. quid enim? possuntne polliceri atque promittere, quod officium suum nolint præstare? at ex officio ipsis incumbere, vt Religionem tueantur, iam supra multis modis probatum est.

CCXXXVIII.

ESTO, polliceri possint ad tempus impunitatem; quando, vt officium suum præstent Aduersariorum potentia non permittit: postquam verò minores sunt Aduersariorum vires; si officium suum commodè ipsi præstare possint; quo iure ne præstent, possunt promittere? Certe, si tunc suo officio defunt, in ipsos conuenit, quod Victor Carthaginensis Episcopus, Epistola ad Martinum PP. scribit. Error, inquit, cui non resistitur ap- *Sinod. Later.*
probatur: & veritas cum minime defensatur, opprimitur. Ne- *ses. 2. sub Mar-*
gligere, cum possis, perturbare peruersos, nihil est aliud, quam *tin. PP.*
fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.

CCXXXIX.

QVOD si vero nec defensionem atq; tutelam sine peccato Magistratus Nouatoribus possunt promittere; nec perpetuam

petuam Licentiam; qua ratione excusabimus eos, qui vtrumque iuramento confirmant? an vt male faciamus, sine crimine promittere non possumus; possumus interueniente iuramento? Non iniquitatis vinculum est iuramentum. In sexto Titulo de Iureiurando.

CCXL.

Ibidem.

HINC facile Quæstio illa dissoluitur, qua quæritur, An promissis atque iuramento teneantur Magistratus, qui, nescio quibus rationibus inducti, Liberam suis Religionem aut promiserunt, at iurarunt. Non teneri certum est. Ratio, quoniam hæc ex eorum sunt genere, quæ nec promitti, nec vlla ratione iurari potuerunt. Debet hic habere locum quod dicitur, In male promissis rescinde fidem.

CCXLI.

PORRO tertiorum, qui se iustas dissimulandi causas falso habere putant, si non maior culpa, certe non minor numerus est. Quando enim placere cupimus omnibus: quando neminem offendere: quando priuatorum commodorum nimis studiosi: personarum etiam dignitas terret: quando peccantium non paruus est numerus: quando minima timeretur perturbatio: vicinorum odium, vel obloquia, aut etiam casus vel ruina cæli, &c. fit plerunq; , vt id impossibile existiment Magistratus, quod si vel minima seueritate tentarent, facillimè consequerentur & obrinerent. quam quia adhibere non volunt vel negligunt; fit vt ipsorum conuiuentia malum altiores radices agat, latius serpat, cristas insolentius erigat, plus præsumat: incipiat etiam Magistratus non curare, autoritatem ipsorum subsannare, imperata contemnere, & demum ipsis cum prisca Religione bellum indicere, & sedibus exturbare: iustissimo DEI Iudicio, vt in quo peccarunt, puniantur.

CCXLII.

SED dicet aliquis. Aliud nos Christi Exemplum docet, Nullam ille vim censet admittendam. Legimus recessisse ab ipso septuaginta Discipulos, & arbitrio suæ malæ atq; impiæ
disces.

discessionis fuisse permisso, ceterisque duodecim, qui reman-
 serant fuisse responsum: Nunquid & vos vultis abire? Argu-
 mentum hoc attendebat Donatus, teste Augustino. Verum illi
 ita Augustinus. Attendis, quod in Euangelio scriptum est recep-
 sisse à Domino septuaginta, & arbitrio suo esse permisso, &c.
 Hoc attendis; sed non attendis, quia tunc primum Ecclesia no-
 uello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa
 illa propheta: Et adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes
 gentes seruient illi. Quod utique quanto magis impletur, tantò
 maiore vitur Ecclesia potestate, vt non solum inuitet, sed etiam
 cogat ad bonum: Hoc tunc Dominus significare volebat: qui
 quamuis haberet magnam potestatem, prius tamen elegit com-
 mendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij similitudine satis
 euidenter ostendit, vbi misit ad inuitatos, & venire noluerunt,
 & ait seruo: Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, &
 debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus Domi-
 no: Factum est, vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Do-
 minus seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt im-
 pleatur domus mea. Prius dictum est, Introduc huc: postea
 Compelle. Hæc ex Augustino. Ex eodem est, quæ sequitur,
 Responso ad verba Epistolæ Gaudentij Donatistæ, quibus item
 vim externam damnabat.

Epist. 204.

Psal. 70

Luc. 14.

CCXLIII.

PER opificem, dicebat Gaudentius, rerum omnium Do-
 minum Christum, Omnipotens DEVS fabricatum homi-
 nem, vt Deo similem, libero dimisit arbitrio. Scriptum est enim:
 Fecit Deus hominem, & dimisit eum in manu arbitrij sui. Quid
 mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus est Deus? &c.
 Ad hæc respondeo, inquit Sanctissimus Augustinus: Secundum
 istas vestras fallacissimas vanissimasque rationes, habenis la-
 xatis atque dimissis humanæ licentiæ, impunita peccata omnia
 relinquentur, nullis oppositis repagulis legum, nocendi audacia
 & lasciuiendi libido bachabitur. non Rex suum regnum, non
 Dux militem, non prouincialem Iudex, non Dominus seruum,
 non Maritus vxorem, nec Pater filium à libertate & suauitate
 peccan-

Contra 2. Gau-
 dentij Epistol.
 lib. 2. cap. 11.

peccandi minis vllis pœnisue compescat. Datum est ergo homi-
ni, quando creatus est, liberum arbitrium, subiungit Augustinus,
sed vt si esset malefaciens, fieret patiens.

CCXLIII.

Ibidem August.

AT magna Dei iniuria, si ab hominibus ipse defendatur.
Hæc tertia potest esse Obiectio ex eodem Gaudentio.

Addit etiam; Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult de-
fendere, nisi quia non valet suas ipse iniurias vindicare? Re-
spondet ad hæc quoque Augustinus. Hæc dicentes; inquit, quid
aliud dicitis, nisi nulla hominis potestas contradicat atque ob-
strepit nostro libero arbitrio, quando iniuriam facimus DEO:
O dolor, fraudata sunt tali magisterio tempora antiqua, quando
nondum eras natus, quando sanctus Moyses iniurias suas lenis-
simè pertulit, Dei vero seuerissimè vindicauit. Sed illi etiam,
qui decreto Nabuchodonosor Regis proposita pœna interitus sui,
& dispersionis domorum suarum à blasphemando Deo Sidrac,
Misac, & Abdanago, terribiliter prohibebantur, & acriter si
contemnerent, plecterentur, dicere potuerunt, quod ipse di-
xisti: Magna Dei iniuria, si ab hominibus defensatur. Quid
de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non
valet suas ipse iniurias vindicare? Hæc verba tua prorsus etiam
illi dicere potuerunt, & fortasse dixerunt, etsi non eadem liber-
tate, non dissimili vanitate.

Daniel. 3.

CCXLV.

ATQVE, vt constet, quam non solum nihil contra offi-
cium suum faciant; verum etiamutilem nauent operam
Magistratus, quando pœnarum terroribus ad Ecclesiæ vnitatem
errantes reuocant, omnemque libertatem Religionis proscri-
bunt, hæc quæ sequuntur ex B. Augustino adiungimus. Ille
Epist. 48. ad Vincentium. igitur sis habet. MEA PRIMITVS sententia erat, nemi-
nem ad Vnitatem Christi esse cogendum; verbo esse agendum,
disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catho-
licos haberemus, quos apertos Hæreticos noueramus. Sed hæc
opinio

opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad Vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuersa est; quam nunc videmus ita huius vestræ animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur. Ita alia multa, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa recte intelligi posse quod scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Quam multi enim (quod certo scimus) iam volebant esse Catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum Reuerendo quotidie differebant? Quam multos non veritas, sed obdurata consuetudinis graue vinculum colligabat, vt in eis compleretur diuina illa sententia: Verbis non emendabitur seruus durus: si enim & intellexerit, non obediet. Quam multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati; quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat? Quam multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorum, qui, nescio quid aliud, nos in altare DEI ponere iactitabant? Quam multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam nemo transire cogebat? His omnibus harum Legum terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus: Sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit iamque faciendi, & dilationum morulas amputauit. Alij dicant, Hoc esse verum iam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebamur: Gratias Domino, qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit: Alij dicant, Nesciebamus hinc esse veritatem, nec eam discere volebamus; sed nos ad eam cognoscendam metus fecit attentos, quo timuimus, ne forte sine vllis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, vt saltem solliciti quæreremus,

*Proverb. 9.**Proverb. 29.**Psal. 2.*

O

quod

quod serui nunquam nosse curauimus. Alij dicant : Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi cogere[mur] : Gratias Domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de Ecclesia sua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus, & illa falsa esse, quando posterj eorum tam falsa & peiora finxerunt. Alij dicant : Putabamus quidem nihil interesse, vbi fidem Christi teneremus : Sed gratias Domino, qui nos à diuisione collegit, & hoc vni DEO congruere, vt in Vnitate colatur, ostendit.

CCXLVI.

MELIUS est, inquiunt quidam, ad vnitatem Ecclesie doctrina homines duci, quam pœne timore vel dolore compelli. Ita est. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Sicut meliores sunt, quos dirigit amor; ita plures sunt, quos corrigit timor. Scriptura diuina & propter istos meliores dixit, Timor non est in charitate : & propter hos inferiores, qui plures sunt, ait, Verbis non emendabitur seruus durus : Cum dixit, Verbis eum non emendari, non eum iussit deserere : sed tacite admonuit, vnde debeat emendari : alioquin non diceret, verbis non emendabitur, sed tantummodo diceret, non emendabitur. Et hæc B. Augustinus Epistola 50. ad Bonifacium Comitem,

1. Ioan. 4.
Proverb. 29.

Finis tertiæ Disputationis.



QVÆSTIO TERTIA
DE LIBERTATE RELIGIONIS
ET FIDEI CHRISTIANÆ.

Quæ-

Quænam sit Libertas, quam fides,
sive Religio Christiana po-
stulat?

INTRODVCTIO

In Tertiam Disputationem de Libertate Reli-
gionis, & fidei Christianæ.

I. THESIS.

QVÆ quantaue Libertas mortalibus esse possit,
ad fidem Religionemque Christianam vel assumendam,
vel retinendam demonstratum sit: nunc inquirendum
est, quamnam ipsa suis cultoribus adferat. Hoc tertium Dispu-
tationis præsentis Caput est.

II.

ET quidem, si Sacras literas consulamus, dubitare non
possumus, quin aliquam afferat: quoniam ex sententia
Christi, liberi iudicantur, quos filius liberavit: & Apostolus
nunc asserit fideles vocatos esse in libertatem; nunc liberatos
à peccato; nunc non esse sub lege; nunc non oportere fieri ser-
uos hominum.

Ioan. 8.
Galat. 5.
Roman. 5.
Galat. 5.
1. Corinth. 7.

III.

NOSTRIS vero temporibus fuerunt, qui, quæ non satis
ab Apostolo explicatur Libertas, tantam esse asserue-
runt, quasi penes mortalium nullum sit potestas in hominem
fidelem vel vnam syllabam constituendi. ijdem docuerunt im-
pium esse dubitare, conferaturne per fidem in Christum plena
& absoluta à peccatis omnibus libertas, & remissio.

Luth. de cap.
Babyl.

IIII.

AT, qui nos sæculis omnibus præcesserunt, Maiores, ali-
quam esse per fidem in Christum collatam Libertatem



semper crediderunt; tantam vero esse, quanta à Nouatoribus prædicatur, nec suspicari quidem potuerunt. Nos quid res habeat tum definiemus, ubi prius à quibus rebus Libertas fidelibus in hac vita accidere possit (de futuræ vitæ Libertate quaestio nulla est) constituerimus.

V.

QVATVOR autem rerum genera sunt, quarum Libertas contingere potest. huius vitæ calamitates & miseriæ, peccata, pœnæ peccatis constitutæ, denique leges. Quemadmodum enim his premi seruitus quædam est; ita ab his explicari Libertas. Hinc quadruplicis Libertatis distinctio nata est, quarum prima à Miseria, altera à Peccato, tertia à peccati Pœna, quarta à Legibus siue mandatorum Obedientia vocatur.

VI.

OMNIVM meminit Apostolus Paulus. de prima loquitur, cum ait, Quis me liberabit à corpore mortis huius? de altera, ubi dicit, Nunc vero liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. de tertia cum inquit, Nihil damnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu. de quarta denique, Quando negat fideles esse sub Lege.

Roman. 7.

Roman. 6.

Roman. 8.

Galat. 5.

VII.

PORRO in vnoquoq; genere gradus varij sunt. Miseriarum enim non vna est ratio. quædam corpori, quædam animæ accidunt. Sic in peccatis, vel eorum, quæ perpetrata sunt, vel eorum quæ committi adhuc possunt ratio habenda est. Pœnæ autem vel huius, vel futuræ vitæ sunt. Deniq; Leges aut diuinam, aut humanam auctoritatem habent. Nunc quantam Libertatem per fidem Christianamque Religionem fideles in his rebus obtineant, videndum est. à primo Exordium sumamus.

TER

TERTIÆ DISPUTATIONIS
CAPVT PRIMVM.

Per fidem Christianamque professionem
non conferri Libertatem à miseria.

VIII. THESIS.

MISERIAE nomen, si communiter accipimus, omnes omnino defectus, qui primi parentis peccatum consecuti sunt, comprehendit: si vero propriè, illos tantum, quibus quandiu in hac vita à Domino peregrinamur, affligimur. Ibi continentur & bona, quibus priuati sumus, & mala quæ incidimus: hîc sola mala intelligimus, à quibus Libertas esse potest.

IX.

MALA hæc partim animæ sunt, partim corporis. Anima quoad omnes suas potentias per peccatum grauius fauciata est. Id in intellectu docet ignorantia, in voluntate & malitia, in vi irascibili infirmitas, in concupiscibili, quæ ad deterius trahit, concupiscentia. In corpore primum maximumque est moriendi necessitas: dehinc qui morti deseruiunt morbi corporalesque defectus. de quibus præcipua nobis quaestio est.

Thom. 12. q.
85. art. 3.

X.

PORRO qui ab his beneficio fidei, Christianæq; Religionis fideles liberari dixerit, hætenus fuit nullus: sed nec poterit aliquando, qui affirmare volet, inueniri aliquis, nisi prorsus omni sensuum usu destitutus. Naturæ leges hos defectus, moriendiq; necessitatem postulant: in ijs exercitati sunt, quicumq; Christi fidem aliquando complexi sunt: & cur tolli non debuerint, sed relinqui; multæ sunt magnæ & graues causæ.

1
2
3

O 3

XI.

XI.

NA T V R A ex quatuor elementis conflata est. Horum quia contrariae repugnantisque virtutes sunt, contrariae quoque sunt actiones: quas necessarium est intestinum bellum, atque internos motus subsequi: qui cum sine alterius partis læsione non consistant; fit, ut naturam & frangant & dissoluant.

XII.

ES T O olim huic malo prouisum fuerit; fuerit etiam consentiens in homine virium omnium Harmonia: veruntamen illam non ex se natura, propriaque virtute; sed superioris doni beneficio, externisque adiuta præsijs, possidebat: quibus profectò, si destituta fuisset, vix minores, quam modo, difficultates sustinisset.

*Thom. 1. p. 9.
97.*

VIII.

QVIS vero vel recenseat eos, qui has miseras experti sunt, vel miseriarum multitudinem magnitudinemque digna oratione explicet? Omnibus incubuit moriendi necessitas; licet inæquabilibus itineribus ad mortem pertigerint. Si quos vel vetus testamentum, vel nouum potest producere, qui mortis imperium experti non sunt; diuinum illi beneficium agnoscere, non naturæ leges debent attendere.

XIII.

PO T V I T tamen quascunq; molestias beneficio fidei, Religionisque Christianæ **D**E V S Optimus Maximus tollere. Eius virtus atque potentia tempore non deficit. Non minus potens est nostris, quam præcedentibus temporibus. quemadmodum olim initio conditi mundi, ita nunc quoq; quæ hominibus accidere possunt, potest amouere miseras.

XV.

VE R V N T A M E N quod potest, iustissimis rationibus non præstat. Vult his difficultatibus humanum genus exerceri: & primum quidem admoneri mortales grauitatis commisi

missi à primis Parentibus peccati; quod vsque adeo diuinam Maiestatem offendit, vt ab ijs etiam pœnas exigerere voluerit, qui primos Parentes vitæ suæ duces tantum, atque authores agnoscerent.

XVI.

VULT deinde hac ratione malefaciendi libidinem tollere.

Quando enim aduersis premuntur, non solum grauitatem peccati intelligunt homines, verumetiam continuis quasi stimulis, ne peccati memoriam deponant, & peccent aliquando, vt *Lib. 2. de Intentione.* gentur. Maximam præterea materiam præbent exercendæ Patientiæ, vt quæ Cicerone teste, est honestatis ac vtilitatis causa, voluntaria ac diuturna perpessio rerum arduarum ac difficilium.

XVII.

ACCEDIT, quod magnam segetem meritorum subministrant, præsertim si piè, Christi que amore suscipiantur: prosintq; ijs, qui peccatis obnoxij sunt ad gratiam comparandam; ijs vero quorum conscientiam grauior culpa non premit, primum quidem ad gratiæ augmentum, deinde etiam ad amplissima illa futuræ vitæ, & sempiterna præmia.

XVIII.

SED & animum non parum ab his terrenis auocant. Quando enim quæcunquæ hîc haberi potest voluptas, sincera non est, inconstans est, nec sine aduersis consistit; qua ratione in his rebus pedem animus figere potest?

XIX.

IAM hinc magnis passibus ad Deum contendit. Quoniam quiescere non potest, nisi perfecto bono perfruatur: Quod dum in hac vita desperat, alicubi in alia quærit; fitque verissimum quod Beatus Gregorius dixit, Mala quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.

TERTIÆ DISPUTATIONIS
CAPVT SECVNDVM.

*Per fidem Christianamq; professionem non
tribui Libertatem à peccato.*

XX. THESIS.

LIBERTATEM à peccato per fidem Chri-
stique Religionem contingere non pauci nostris tempori-
bus palam profitentur. Et alij quidem per illam censent
tollì peccata iam præterita; alij etiam à futuris putant nos libe-
ros esse, quæ vel à fidelibus negant posse committi, aut, si com-
missa sunt, nihil iudicant obesse.

XXI.

PRIMVM dogma propemodum omnes horum tempo-
rum Nouatores profitentur: duo posteriora illi, qui do-
cent nullam præter vnã Infidelitatem, esse peccatum; creden-
ti in Christum non officere quicquam: tantam deniq; Christia-
ni hominis fœlicitatem esse, vt Baptizatus, etiam volens, non
possit damnari, nisi prorsus fidem abiuret.

XXII.

VERVM singula hæc ineptè dici nemo debet dubitare.
A peccatis, quæ perpetrarunt, non vna sola fide absol-
uuntur Fideles: Non vnus fidei beneficio ad peccandum red-
duntur impotentes: Nec fide fit, vt quæ ab ipsis committuntur
non imputentur peccata, vel pro non peccatis habeantur.

XXIII.

*Disputatio de
Confess. Sacra.* **P**EC CARE posse verè fidei Professores, & à Dei gratia exci-
dere quia alias demonstratum est, hîc repeti non debet.
Id breuiter dicimus, dogma hoc euerti quotidiana experientia,
exemplis omnium credentium; quorum hæc oratio est, Dimitte
nobis

nobis debita nostra: Christi lege atque institutis, qui frustra in Ecclesia potestatem dimittendi peccata reliquisset, si nulli quibus peccata in Ecclesia remitti possent, reperirentur.

1
2
3

XXIII.

VT vero peccent Fideles, & pro peccatoribus non habeantur; aut illis, quia fideles sunt, peccata non imputentur, quis, nisi male cerebro sanus, credat? An potest non odisse impietatem DEVS? Si fidelibus sua, quantumuis enormia, non obsint peccata, non fideles erunt, sed Infideles soli, qui tremendam Iudicis in die Domini expectaturi sunt sententiam. sed hoc præterquam quod sacris literis aduersatur, etiam contra omnium sensum est atq; consensum.

Sapient. 4.

2. Corinth. 5.

XXIII.

SIC credi non debet fidem à præteritis & commissis peccatis liberare, & dissolutam per peccatum amicitiam restituere. Tribus modis, inquit B. Augustinus (lib. 1. capit. 6. de Symbolo ad Catechum.) dimittuntur peccata in Ecclesia: in Baptismate, in Oratione, in Humilitate maioris pœnitentiæ. (fidei nullam facit mentionem). Deinde, quæ hæc potest esse fides, quæ à peccatis liberat? Illanè qua assensum ijs præbemus quæcunque diuinis literis continentur (quam Historicam dicunt) an quam Miraculorum vocant? de qua alicubi Dominus, cum ait Si haberetis fidem, sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, &c. an qua credimus per Christum nobis remissa peccata, quam Promissionis, quod promissionibus diuinis nitatur, nominant?

Luc. 17.

XXV.

NON dubito, quin huic tertiæ Libertatem, de qua quaerimus, tribuant. Siquidem prima illa etiam apud eos locum habere potest, qui Christi hostes sunt, & peccatorum suorum demerito æternis supplicijs aliquando adiudicantur: Altera vero tantum abest, vt à peccatis liberet, vt se nihil esse asserat Apostolus, si hac instructus Charitatem non habeat. Si habuero, P inquit,

1. Corinth. 13.

inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero nihil sum. Relinquitur ergo tertia, quæ libertatem conferre potest.

XXVI.

AT hanc libertatem à peccato conferre dici potest, probari non potest. quin imo, si rectè iudicauerimus, dogma hoc & diuinis repugnat oraculis, & in Christi cedit iniuriam, & doctrinæ aduersatur Apostolorum, sanctissimorumq; Patrum, & Aduersariorum iudicio, modo sibi constare velint, dissoluitur; deniq; ad omne flagitium ostium aperit.

XXVII.

PRORSVS diuinis Oraculis contrarium est hoc de fide saluante dogma. Vrgent illa passim virtutum studium: Timorè Dei ante omnia postulant: Sine hoc miseros esse mortales docent; cum hoc beatos etiam illos, quos nulla scelerum conscientia arguit. At virtutis studium, & Timorem non solum non probat, sed prorsus tollit saluans fides, omnemque procul vult esse de salute dubitationem.

XXVIII.

DOGBA quoq; hoc in Christum multis modis iniurium est. Primum quidem, quia Christus Timorem tantopere diuinis Oraculis commendatum, requirit. Deinde in oratione, quam, quod ab ipso tradita sit, Dominicam dicimus, vult nos peccatorum veniam humili oratione precari: sed petere recte in oratione non possumus, quod nos iam habere certa & indubitata fide credere debemus. Tertio postulat pœnitentiam, Nisi pœnitentiam, inquit, egeritis; omnes similiter peribitis. At vbi sola fides locum habet, nullus locus relictus est pœnitentiæ. Quarto vult ab Apostolis delictorum petendam veniam: quibus ob id potestatem dedit peccata dimittendi. At hoc necesse non est: Credere possumus, & veniam peccatorum habere. Quinto Baptismatis sacramento hanc voluit inesse virtutem, vt in nomine Sanctissimæ Trinitatis collatum ab omnibus mentem abluat peccatis. Et hac virtute spoliatur Baptismus. Si quid bapti

Galat. 5.
Psal. 32.
Roman. 3.
Prouerb. 28.

Matth. 10.

Matth. 5.

Luca 13.

Ioan. 20.

Marci vltimo.

baptizato confertur, solius fidei beneficio confertur. Quid quod disertis verbis hanc saluam fidem damnet? Non omnes, inquit, qui mihi dicunt Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum. Qui igitur? qui faciunt voluntatem Patris, qui in cœlis est.

Matth. 7.

XXIX.

NEC Apostoli hanc potestatem Fidei tribuerunt. Si fides esset, quæ à peccatis liberaret fideles, non mendacem pronunciaisset discipulus Domini Ioannes eum qui se nosse Deum dicit (quod fidei opus est) & mandata Dei non seruat. Quid proderit, inquit S. Iacobus, fratres mei, si fidem quis se dicat habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Ita Apostolus Petrus, non secundum fidem, sed opera cuiusq; docet Dominum iudicare.

1. Ioan. 2.

Iacobi 2.

1. Petri 1.

XXX.

QUANTVM vero doctrina hæc cum B. Pauli sententia discrepat? Vult ille omnes manifestari ante Christi tribunal, vt recipiant secundum opera: Doctrina hæc solius fidei vult rationem habendam. Ille voluntariè peccantibus negat relinquere hostiam: hæc solam fidem docet sufficere. Non contentus est ille auditoribus legis; vult quoq; simus factores: Hæc fide apprehendente contenta est. Negat regnum Dei fornicatoribus, inuidis, auaris, & qui opera sectantur carnis: illa hæc negat obesse: Omnibus saltem promittit, modo possint apprehendere per Christum sibi peccata esse remissa. Vult ille, vt se probent homines, antequam Sacramenta Corporis & sanguinis Domini recipiant; hoc necesse non est, si iustus & sanctus est, qui se per Christum iustificatum esse credere potest. Quid multis? Negat sufficere fidem quamcunq; sine Charitate: Sine Charitate dicit se nihil esse; nihil sibi quanta quanta sint, & qualia qualia sint, dona prodelle.

2. Corinth. 5.

Hebr. 10.

Roman. 2.

Ephes. 5.

1. Corinth. 11.

2. Corinth. 13.

XXXI.

CVM Apostolis consentiunt Sancti Patres. Ex multis producimus sequentes.

Ad Philip.

Ignatius. Principium vitæ est fides, inquit, finis vero eius dilectio; ambæ simul iunctæ, & in vnitæ factæ hominē Dei perficiunt.

P 2

Cypria-



*De unitate Ec-
clesia.*

Cyprianus Martyr. Prophetare & damonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis utiq; & admirabilis res est: non tamen regnum cœlorum consequitur, quisquis in his omnibus inuenitur; nisi recti & iusti itineris obseruatione gradiatur. Præceptis eius, & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.

*Libro 10. in
Ioannem c. 16.*

Cyrillus. Non sufficit ad perfectionem, id est, sanctificationem, quæ per Christum in spiritu est, in numero palmitum (per fidem) recipi: sed oportet ardenti charitate, atq; continuo immaculate Christum sequi. Quia in re maxime spiritualis coniunctionis virtus seruatur.

In Apocal.

Victorinus. Non est satis arborem vigere, & fructum non habere: sic non satis est Christianum dici & Christum confiteri, & ipsum in opere non habere, id est, eius præcepta non seruare.

*Lib. de remis.
peccat. cap. 1.*

Fulgentius. Neq; sufficit ad salutem fides recte credentis; si conuersatio moribus & operibus turpetur obscœnis.

*Homil. 29. in
Euangel.*

Gregorius. Fortasse vnusquisq; apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. fidei nostræ veritatem, in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus.

*Lib. 33. Mo-
ral. cap. 7.*

Idem. Nemo sibi fidem sine Operibus posse sufficere confidat, cum scimus, quod scriptum sit: fides sine operibus mortua est. Nullus Behemoth morsum ex sola Confessione fidei plene se euasisse existimet.

*In illud. Non
omnis qui dicit
Domine.*

Hieronymus. Vtrumq; Dei seruis necessarium est, vt & opus sermone, & sermo operibus comprobetur.

*Homil. 30. in
Ioannem.*

Chrysostomus. Nunquid ergo satis est in filium credere? Minime. Non enim omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Et peccatum in Spiritum sanctum vel solum est satis, quod in gehennam detrudat. Et quid de Patre loquor? Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum recte credideris, non autem recte vixeris; nulla tibi ad salutem utilitas. Cum ergo dicit: Ipsa est vita aeterna, vt cognoscant te solum

solum verum Deum, nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namq; nobis est, & vitæ & morum puritate pollere.

Idem. Nolimus, nolimus inquam, Dilectissimi, fidem nobis ad salutem satis esse existimare. Nam nisi vitam puram exhibuerimus, & hac cœlesti vocatione digna nos induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur: nihil non eripiet, quin eodem quo miser ille afficiamur supplicio. *Homil. 3. in Ioannem.*

Idem. Non sufficit fides, nisi adsit etiam vitæ institutio, fidei conueniens. *In Psalm. 110.*

Idem. Quid, quæso, fides conferet emolumentum, si vita sincera non fuerit & pura? Verum vos & ista fortassis nescitis, quibus nostra ferè omnia & ignota sunt & inaudita. Itaque vobis necessariò Christi sententias summam numerabo: vos autem caute & diligenter obseruate, vtrumne semper de fide & dogmatibus disputet, proque his tantum supplicia decernat, nisi integra seruentur: an vero vitam ipsam quoq; ac mores improbos castiget aliquando. Cum enim in montem conscendisset, videns innumeram circumfluentem, ac se circumstantem multitudinem, talia monita edebat: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Item: Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: recedite à me, qui operamini iniquitatem, non noui vos. Eum vero qui audit sermones suos, & non facit, similem esse dixit homini fatuo, qui domum suam super arenam construit, eam ventis & fluminibus & pluuijs labefactandam ac diruendam parat. Item cum alio in loco concionaretur: Sicut, inquit, piscatores cum sagem traxerint, malos pisces abijciunt: ita erit in illa die, angelis eos omnes qui peccauerint in fornacem iactantibus. De flagitiosis quoque, & impuris hominibus cum loqueretur, aiebat: Et illuc abibunt, vbi nec vermis eorum moritur, nec ignis extinguitur. Et rursus: Rex, inquit, fecit nuptias filio suo, & cum vidisset hominem indutum vestibus sordidis, ait ad eum: Amice, quomodo huc intrasti, non

non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit ministris suis: Ligatis eius manibus & pedibus, eijcite illum in tenebras exteriores. Impudicis ista, ut dictum est, & flagitiosis atq; impuris comminatur. Virgines quoq; quæ exclusæ à Sponsi thalamo fuerunt, propter crudelitatem atq; immanitatem id passæ sunt: alijq; rursus eadem ex causa eunt in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Et hi quoq; qui frustra, & sine causa loquuntur, punientur. Ex verbis enim, inquit, tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Ergone tibi videmur inaniter, ac sine ratione vitæ nostræ cautè, timideque rationem habere, eiq; philosophiæ parti, quæ mores instruit, propensius studere? Minime equidem id puto, nisi forte Christum hæc superuacue dixisse velis asserere, atq; his plura etiam: neq; enim hic omnia inserere visum est. Quod nisi vereretur librum prolixius extendere, et ex Prophetis ipsis atq; ex beato Paulo, alijsque Apostolis ostenderè profecto, quantum studij in hac parte emendandæ vitæ, morumque componendorum Deus ponere voluit. Ita Chrysostomus. &c.

De fidee operibus cap. 14.

Augustinus. Quare iam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis ne mala securitate salutem suam perdant si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint: bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam obscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere.

Ibidem.

Idem. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer astruant fidem sine Operibus nihil prodesse: Sicut etiam ipse Paulus non qualem libet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeq; Euangelicam definiunt, cuius opera ex dilectione procedunt.

In epist. Ioan. sanctatu 10.

Idem. Et omnis qui diligit genitorem, diligit eum, qui genitus est ab ipso. Statim Fidei coniunxit dilectionem: quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides Christiani: sine dilectione fides dæmonis.

Idem

Idem. Iacobus vehementer infestus est ijs, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam Demonibus comparet. Dicit etiam, quia fides sine operibus mortua est. Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?

*De vnito bap-
tismo cap. 10.*

Idem. Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus (Rom. 3.) Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male viuat, & bona opera non habeat. Quod absit, vt sentiret vas electionis; qui cum dixisset quodam loco (Galat. 5.) In Christo enim Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, mox addidit: Sed fides, quæ per dilectionem operatur.

*De gra. & lib.
arb. cap. 7.*

Idem. Audi Hæretice stulte, & inimice fidei veritatis. Opera Liberi arbitrij bona (quæ vt fiant preparantur per gratiæ præuentum, nullo Liberi arbitrij merito, & ipso faciente, gubernante, & perficiente, vt abundant in Libero arbitrio) non damnamus: quia ex his vel huiusmodi, homines Dei iustificati sunt, iustificantur, iustificabuntur in Christo.

*Lib. 3. Hypop.
vltra medium*

Non necesse est reliquos in medium producere. De ipsorum sententia dubium nullum est. Idcirco ab Aduersariis male audiunt, quod nimium, vt ipsi volunt, bonis operibus tribuant. Damnatur Clemens, quod dixerit, Gratia saluamur, sed non absq; operibus. Damnatur Iustinus, cuius vox est, Quid est tota legis Iustitia? Diligere Deum plusq; seipsum; & proximum vt seipsum. Damnatur Irenæus ita docens, Inter cætera Prophetæ & Apostoli hortantur homines iustitiam agere, bonum quoq; operari. Damnatur Tertullianus, qui testatur regnum Dei esse in nostra potestate, si faciamus Dei præceptum. Damnatur Ephrem, dum inquit, Quid prodest, si habeamus omnia, sola autem nos saluante Charitate careamus? Æquè sunt Candidi Censores aliorum Patrum. Vide Canisium in Ioannem.

XXXII.

ADDE quod nec cum Aduersariorum sententia dogma hoc subsistat. Id sic docemus. Credunt Zwingliani per Christum sibi remissa peccata. Non igitur possunt ex sententia Luthe-

Lutheranorum damnari. Illatio dubia non est. quia Lutherani docet non licere dubitare de venia peccatorum atque salute eorum, qui per Christum sibi peccata remissa esse credunt: & tamen Zwinglianos Lutherani (vt Magistri ipsorum phrasi vtar) serio damnant, & anathematizant. An forte eosdem iustificat & damnant? Similiter Lutheranos damnant Calvinistæ: & tamen hi quoque sibi per Christum remissa esse peccata, constantissimè firmissimèq; credunt. Contingit igitur remissa esse peccata; & peccatorum venia non obtenta in vitiorum cœno volutari.

XXXIII.

De vita Christiana, cap. 13. **N**ON potest non ad quamcunq; licentiã, peccandi; libidinem sententia hæc ostium aperire. Quod dicimus Beatus Augustinus confirmat. Noui, inquit, quos ita insipientiæ & imprudentiæ tenebrosa caligo & ignorantia fallit & decipit, vt fidem, quam se habere simulat, sine iustitiæ operibus apud DEVM sibi censeant profuturam: & hoc erroris genere decepti, sine metu crimina nefanda committunt, dum credunt Deum non criminum, sed perfidiæ tantum ultorem. Et huiusmodi non solum seipsos perijsse contenti sunt, sed etiam alios, in quibus nullum diuinæ scientiæ lumen est, suis nituntur laqueis implicare. Et impletur in illis Saluatoris nostri sententia dicentis: Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

Matth. 15.

XXXIIII.

SED Augustino ad hanc rem confirmandam opus non est. ipsorum pro nobis est Aduersariorum Confessio, vt sequentia probant.

Postil. Domi. 1. Aduentus. Et primum (quemadmodum par est) hic locum habeat D. Martinus Lutherus, cuius hæc oratio est. Indies ex hac doctrina mundus redditur deterior. Hic Diaboli conatus est, hæc opera. Res ipsa docet, homines modo magis auaros, magis im-

Lib. de Prophecia Christi. misericordes, luxuriosos, contumaces esse, atq; deteriores, quam olim fuerint sub Papatu.

Sequi.

Sequitur Andreas Musculus, qui in eandem sententiam loquitur. Eo iam res Lutheranae familiae deueniunt, ut si quis desideret videre turbam hominum nequam, contumacium, fraudulentorum, faeneratorum, usurariorum, impostorum, &c. ad unam aliquam ciuitatem, ubi Euangelium praedicatur, se conuertat; maximam statim conspiciet.

Lib. de Propbetia Christi.

Cum dictis consentit Andreas Schmidelinus Praepositus, & Cancellarius Tubingensis. Mandat serio Deus, in verbo suo, & a suis Christianis requirit seriam & Christianam disciplinam. Haec ipsa vero apud Euangelicos istos nouus Papatu, nouusq; Monachismus existimatur. Sic enim, inquit, didicimus modo per solam Fidem in Christum saluari; quia sua morte pro peccatis nostris omnibus satisfecit; nos vero satisfacere non possumus nostris ieiunijs, Eleemosynis, precationibus, ac alijs operibus. Quamobrem sine & pernite, ut huiusmodi opera missa faciamus, cum per Christum alioquin saluari possimus, & solum gratia Dei Christi; meritis nitamur.

Concio. 4. de plan. errant.

Confirmat sententiam horum Martinus Bucerus his verbis. Maxima, inquit, eorum pars visa est id tantum ex Euangelio Christi petisse, ut iugum qualiscunq; disciplinae, poenitentiae & religionis vniuersae, quae in Papatu reliqua fuit, abijcerent; proq; carnis suae arbitrio ac libidine instituerent, agerentq; omnia. Tum non ingratum fuit eis audire, iustificari nos fide in Christum; non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio.

Lib. de regno Christi cap. 4.

Et Paulus Eberus a praecedentibus non dissentit. Sic enim habet. Tot & tantis confusionibus & scandalis deformatur totus coetus Euangelicorum, ut nihil videatur minus esse quam quod profiteretur. quae mala intuens, non potest non vehementer animo percelli, & interdum quassari fluctibus dubitationum, ambigens, An hic coetus possit esse Ecclesia, in quo tantum sit distractionum, & confusionum & enormium vitiorum.

Praef. in comment. Phi. ad Corinth.

His adiungendus est Ambrosius. Res nihilo fit melior, sed in dies deterior, omnia nihil praese ferunt aliud, quam Euangelium apud nos pessimum iturum, & loco Euangelij, non nisi meros eosdem egregios errores nos habituros, &c.

Lib. cui titulus Publica confessio pura doctrinae Euangelij.

2

TER-

**TERTIÆ DISPUTATIONIS
CAPVT TERTIVM.**

*Per fidem & Christianam professionem non
tribui libertatem pœnarum peccatis debitarum.*

XXXV. THESIS.

EX triplici causa contingere potest, vt beneficio fi-
dei Christianæ pœnæ peccatis debitæ remitti dicantur, vel
quia hæc fidei vis est, vt quamuis non peccata, pœnas ta-
men post peccata relictas, possit tollere: vel quia vna cum pec-
catis ab ipsorum quoq; pœnis absoluit: vel quia peccata tollit;
his vero sublatis, nullæ pœnæ persoluendæ, restant.

XXXVI.

PRIMVM hætenus nullus dixit. Fieri non potest, vt ipsa
hominibus peccata maneant, & pœnæ peccatis debitæ re-
mittantur. Secundum & tertium iam propemodum præcedenti
capite refutatum est. Nam si non ipsa per se fides peccata remittere
potest; nec poterit, quæ peccata consequuntur, pœnas remittere.

XXXVII.

ET quamuis in his non ita morosos se Aduersarij præbeant,
doceantq; non pœnas sine peccatis, neq; vna cum peccatis
vi fidei pœnas remitti; quia tamen fide peccata remitti constan-
tissime docent, necessariamq; vnionem peccatorum atq; pœna-
rum comminiscuntur, prorsus eorum Assertio concidet, vbi de-
monstratum fuerit, pœnas non ita cum peccatis coniunctas esse,
vt peccatis diuina gratia sublatis, omnes tollantur; sed quasdam
aliquando relinqui, quæ ob præterita demerita dignis pœniten-
tiæ operibus sint eluendæ.

XXXVIII.

PRIMOS generis humani parentes veniam patrati scele-
ris obtinuisse dubium non est, quando præscriptam pœni-
tentia legem citra vllam tergiuersationem subiuerunt: & tamen
Adam in sudore vultus sui vescitur pane, donec reuertatur in
terram

*Vide Canis. in
Ioannem.*

Genes. 3.

terram ; & Mulieri multiplicantur ærumnæ, atque cum grauissimò dolore filios parit.

XXXIX.

GRAVITER deliquerat Regius propheta Dauid, quando cum adulterio, innocentis Vriæ homicidium coniunxerat: admonitus à Propheta peccatum agnoscit, adeoque veniam mox obtinet. Sed tamen (vt Gregorij verbis vtamur) Dominus delictum sine vltione non deserit: multis post cruciatibus afflictus reatum culpæ, quam perpetravit, exoluit.

2. Regum 12.

Lib. 9. Moral. cap. 17.

XL.

IDEM religiosissimus Princeps ob dinumeratū populum in graui apud Deum offensa fuit. eiusdem veniam impetrauit; ita tamen vt tribus grauissimis propositis cladibus vnam ex illis in qualemcunque admissi sceleris compensationem subire compulsus fuerit.

2. Regum 24.

XLI.

MOYSES pro populi incredulitate & contumacia tale responsum accepit. Dimisi iuxta verbum tuum. Verumtamen non omnis cum culpa remissa est pœna. id sequentia verba demonstrant. Attamen, inquit, omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine; & tentauerunt me iam per decem vices, nec obediuerunt voci meæ; non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum. Nec quisquam ex ijs qui detraxerunt mihi intuebitur eam. & infra. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra: & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam.

Numer. 14.

XLII.

MOYSES quoq; , & fratris ipsius Aaronis exempla quod asserimus probant. Quia enim nec ipsi Domino aliquando crediderant, etiam post remissum peccatū à promissæ terre ingressu arcentur, quamuis Moyse exclusionē illam ardentem deprecatus esset.

Deuter. 3.

XLIII.

MARIA vtriusq; soror ob murmurationis peccatum lepra percussa est: Moyseque intercessione ab ea plaga liberata, offensoque numini reconciliata non prius integre in gratiam recepta est, quam totos septem dies à castris exulasset.

Numer. 12.

Q 2

XLIII.

XLIII.

*In Locis com-
munibus.*

HÆC ex Scripturis petita exempla tanta sunt, vt & ipse Confessionistarum Pater & author Philippus Melancton compulsus sit fateri peccata remissa temporali pœna frequenter vindicari. Præter communes, inquit, arunas, quas propter peccatum Adæ parentis nostri circumferimus, Sancti singularibus pœnis propter priuata quædam peccata puniuntur.

XLV.

Luc. 19:

Matth. 3.

1. Corinth. 9.

1. Pet. 4.

Tob. 12.

Psal. 50.

CONFIRMANT causam nostram iam iustificati Zachæi in pauperes profusa liberalitas : fructus digni pœnitentiæ quos requirit Dominus : Corporis graues afflictiones, quibus in propriam carnem sœuit Apostolus Paulus : charitas quam Sanctissimus Petrus docet operire multitudinem peccatorum : Eleemosyna, quæ apud Tobiam dicitur liberare à morte : denique quod amplius se à peccato suo lauari postulat Propheta Dauid.

XLVI.

Ezech. 36.

ATQVE hoc est opus Spiritus noui, quem apud Ezechielem Dominus asserit se positurum in medium populi sui, qui effecturus sit, vt non solum ambulet in ipsius mandatis, & iudicia eius custodiat, verumetiam cum ingenti dolore animiq; displicentia sœpius à seipso sit petiturus rationem viarum præteritarum pessimarum, & studiorum non bonorum.

XLVII.

1

2

3

AB his Sacræ Scripturæ exemplis & grauissima auctoritate ne latum sibi vnguem Ecclesia Catholica discedendum putauit. id demonstrari potest partim decretis summorum Pontificum, partim sacris Concilijs toto Christiano orbe celebratis, partim conspirantibus & consentientibus sententijs eorum, qui & vitæ integritate & egregia doctrina non parum Catholico gregi prioribus sæculis profuerunt.

XLVIII.

*Epistol. 2. ad
Epij. Gallia.*

EX Pontificibus Calixtus exigit dignam satisfactionem à lapsis, si velint redire ad pristinos honores. Leo primus docet

docet peccata satisfactione purgari. Non vult absolui Anacle- tus eos, qui contra Ecclesie columnas quidquam moliuntur, nisi per satisfactionem condignam agant poenitentiam. Gelasius vult viduas etiam DEO, & non tantum Ecclesie satisfacere, si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem muta- bili mente calcauerint. Gregorius Magnus negat Christum om- nia nostra expleuisse: redemisse quidem per carnem omnes, ve- rumtamen remansisse, vt qui redimi & regnare cum ipso niti- tur, crucifigatur.

*Ad Theodor.
Arelat. epi. 2.
Ad Epif. Ital.
Epist. ad Epif.
per Luc. c. 23.
Ad c. 9. Reg.*

X L I X.

EX Concilijs sunt Florentinum, quod tres docet esse par- tes poenitentiae, & remissae culpae residuam poenam ope- ribus satisfactionis, quae ieiunio, elemosyna atque oratione, tanquam praecipuis capitibus constant, auferri: Tridentinum, quod anathemate eos percellit, qui haec inter hominum Tradi- tiones collocant. Lateranense, quod desiderat vt iniunctam poenitentiam poenitens proprijs viribus expleat. Sextum gene- rale, quod singularem in praefinienda poenitentia Confessarij in- dustriam postulat. Vormatiense, quod Confessariu vult expen- dere omnes peccati & peccatoris circumstantias. Cabilonense II. quod in imponenda poenitentia docet sequendum aut antiquo- rum Canonum institutionem, aut Sanctarum Scripturarum au- thoritatem, aut Ecclesiasticam consuetudinem.

*In vnione
Sess. 14. cap. 3.
De poenit. &
remiss. c. Om-
nes.
Can. 202.
Can. 28.
Can. 38.*

L.

AVDIAMVS etiam hanc veritatem concinentes priscos illos Ecclesiarum Magistros, non quidem omnes, sed ali- quos eosq; autoritate grauisimos. Origeni dura est, & labo- riosa via remissio peccatorum. Eusebio Emiseno non sufficit summis labijs dicere, peccaui, parce, remitte. Multa, inquit, opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores. Chrysostomus docet contrarijs peccata cu- rari. Aliena, inquit, rapuisti? incipe donare iam & propria. Longo es tempore fornicatus? a legitimo quoq; vsu suspende- re coniugij, & perpetuam continentiam saepius paucorum die- rum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel ser- mone

*Homil. 2. in
Leuit.
Homilia 5. ad
Monach.
Ad c. 3. Mat.*

In Ioannem.

mone fecisti? refer benedictionis verba conuictijs, & percutientes te nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Cum his consentit exhortatio Cyrilli Episcopi Alexandrini. Si quis, inquit, nostrum recordatur in semetipso alicuius peccati conscientiam, si quis obnoxium se nouit delicto, confugiat ad pœnitentiam, & spontaneum suscipiat carnis interitum, vt purgatus in præsentī vita spiritus noster mundus & purus pergat ad Christum Dominum nostrum. Hi Græci: Eandem satisfactionem exigunt Latini.

*Epistola 8.**De pœnit. dist. 1. c. Non suff.**In Epit. Paul.**Ad Virg. lapsam cap. 8.**Homil. 34. in Euangel.**Lib. 9. histor. cap. 35.*

L I.

CYPRIANVS, ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, negat vlli pacem (nisi forte aliter necessitas vrgeat) concedi. Non sufficit B. Augustino mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat DEO per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosynis. Affligendum est corpus, inquit S. Paula apud Hieronymum, quod multis vacauit delicijs: Longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina & serica prætiosissima, asperitate cilicij commutanda. In eandem sententiam loquitur B. Ambrosius. Grandi plagæ alta & proluxa opus est medicina. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem. Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lachrimis debet peccatum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum. Vult B. Gregorius cogitandum summopere, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat; vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa.

L II.

MITTIMVS reliquos. Omnes idem hîc profitentur & sentiunt: Et vt Sozomenus testatur, non in Orientalibus solum, sed Occidentalibus quoque Ecclesijs, maxime apud Romam

Romam seruator, vt peccatorum pondere grauari presbyterum bonæ conuersationis accedant, seruantemq; secreti, & virum sapientem, ei delicta pandant, ille vero secundum cuiusque culpam, indicat & multam.

LIII.

HÆC tot illustria Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, & Patrum testimonia confirmant peccati effectus, diuinę prouidentię & iustitię ordo, Paradoxa item quę oppositam assertionem consequuntur, deniq; utilitas quę ex solutione pœnę tam ad ipsos pœnitentes quam ad proximos redit.

1
2 3 4
5

LIIII.

LEVISSIMUM inter omnia lethalia peccata, est Originale; At quot in homine, postquam etiam per Baptismum remissum est, relinquit cicatrices? quot ubiq; vulnera? Hinc frequens ille intellectus nostri error, mentisq; hallucinatio. hinc praua voluntatis vota, noxiaq; eiusdem desideria. hinc ini- qua inferiorum virium rebellio, & pertinax illa inter carnem & spiritum pugna. hinc corporis totius languor, partiumq; impetrata exequi solitarum tarditas. hinc omnis generis morbi, & ægritudines: & certus tandem vitę interitus, &c.

1. 2. Thom. q.

83.

LV.

NON subeant hæc veræ, propriæ, debitæq; pœnæ rationem in renatis, siquidem Baptismi sacramentum tollit omne omnino propriæ rationis debitum; at sunt tamen veræ propriæq; illius peccati reliquiæ: Sunt propriæ molestiæ ex turbato fonte natæ: sunt morbi malæ damnatæq; illius arboris fructus.

LVI.

QVID quod quoduis peccatum suum secum portat vindictam, adeoq; occulta quadam pœna quam affert, negat vna cum culpa omnem pœnam auferri. Obseruant, si volunt, flagitiosi grauiora peccata in appetitu quidem habitualemente ad res fluxas carnisq; illecebras propensionem infixam relinquere. In memoria vero & phantasia obscenas rerum iam olim præteritarum imagines, quæ in animæ regno magna sæpe concitant prælia

1. 2. Thom. q.

85.

prælia : In ratione autem prauas noxiasq; persuasiones , callida inuenta, astutiam, carnisq; prudentiam sanctæ simplicitati, Christianoq; candori contrariam.

LVII.

Ad Rom. 2.

DIVINÆ quoq; prouidentia ratio postulat, ne tota semper pœna vna cum culpa relapsis condoneretur : nempe ne ita nobis absque vlla prorsus satisfactione peccata post primam reconciliationem condonaret, vt occasione hinc accepta, peccata leuiora reputantes, in Spiritum Sanctum interim contumeliosi, in grauiora subinde scelera laberemur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. palam est namq; per pœnas, incitatas peccandi libidines vehementer comprimi.

LVIII.

Sess. 14. c. 8.

ET quamuis Dei proprium sit misereri & parcere, attamen, vt, post Ecclesiæ Patres, recte admonet Synodus Tridentina, iustitia ipsius requirit, vt aliter ab eo in gratiam reciperentur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquissent, aliter vero qui semel à peccati & demonis seruitute liberati, ac Spiritus Sancti dono potiti, scientes denuo DEI templum violare & Spiritum Sanctum contristari non formidassent.

LIX.

IAM quæ ex Aduersariorum sententia paradoxa sequantur videamus. Primum est, quod nullum discrimen intercederet inter eum, qui cū mille nefarijs flagitijs sese contaminasset, & eum qui vno solo : siquidem vtriusq; vna cum culpa omnis pœna tollitur. Secundum, nullum rursus esset discrimen inter peccata, quæ ante, & post baptismum perpetrantur, & per consequens, inter Regenerationis atq; Absolutionis Sacramentum, quorum vtrumq; à communi Patrum sensu atq; consensu alienum est.

LX.

QVORSVM ab Ecclesia & scriptura exiguntur ieiunia ? Orationes ? elemosynæ ? aliaq; id genus pietatis officia ? Et hæc quidem, si ab impijs tantum & peccatoribus postularentur, ideo

ideo exigi quis posset arbitrari, vt his iratum numen flectant, Deiq; misericordiam sibi concilient; quando vero etiam à iustis postulantur, profecto sequitur restare quippiam post peccatum, pro quo Deo satisfiat.

LXI.

INDVBITATVM apud doctos axioma est personalem vnus culpam in alterum non transire, nisi consentiat. at pœnas ob patrata peccata maioribus decretas, in posteros interdum transmitti cum ratione negari non potest. Diuelli igitur à se inuicem pœna possunt atq; culpa: & non quotquot obnoxii sunt pœnæ, sunt quoq; affines culpæ.

LXII.

ACCEDIT quod hac quoq; ratione Aduersariorum commententi vanitas ostenditur, quod ex ipso sequatur vix vllum omnino mortalium aut iustum esse, quippe cum nemo fere mortalium criminis expers viuat; etiam si vulgo habeatur felicissimus: vel quod omnes quotquot grauioribus à DEO pœnis exercentur, iniusti & peccatores essent. Atqui vtrumq; ineptum est, & in Christi membra contumeliosum.

LXIII.

DENIQUE utilitas & fructus, qui partim ad nos ipsos, partim ad alios redit, probat conuenientissimum esse, vt aliqua post remissam culpam persoluenda pœna relinquatur. Primum enim hæc satisfactoria opera virtuosos habitus, qui paulo altius animo infederant paulatim exhauriunt. Deniq; satisfit quodam modo ijs, qui ex nostris sceleribus offensam tulerunt. Tertio hæc pœnitentiæ exempla alios, quonam modo suam illi vitam instituere, iustitiamq; colere, & improbitatem fugere debeant, commonefaciunt. Accedit, quod hac ratione capiti nostro Christo in partem conformemur, nonnullamque eiusdem similitudinem consequamur. Denique hac satisfactionis molestia in nos constituta supplicia non infrequentem anteuertimus.

R

TER

TERTIÆ DISPUTATIONIS
CAPVT QVARTVM.

Libertatem ab humanarum legum obedientia non contingere beneficio fidei Christianæ.

LXIII. THESIS.

QVARTA libertas, quæ fidelibus contingere potest est ab obseruantia legum. Verum quoniam lex alia Naturalis est, alia Diuina, alia Humana, de postrema solum cum Aduersarijs nostra Disputatio est.

LXV.

A Naturali enim nec fides, nec Deus, nec vlla res creata fideles absoluit, præsertim si earum sit rerum, de quibus vtrum omittendæ vel præstandæ sint, nullus dubium animum habet. Magnæ sunt vires naturæ, atq; ita diuinitus constitutæ & firmatæ, vt nisi cum natura plerumq; non possint intercidere.

LXVI.

PORRO Diuina cum duplex sit, Vetus & Noua; illa Christi fideles absolutos esse extra omnem est controuersiam, tam apud Aduersarios, quam Catholicos. Noua teneri nemo negat, nisi qui Christi regnum prorsus ad solas terras relegatum velit. Restat igitur tota de Humana controuersia, siue illa Ecclesiasticum Magistratum, siue Ciuilem habeat auctorem;

LXVII.

NOS quod res est dicimus, & docemus, Esse in Christi Ecclesia potestatem condendarum Legum Humanarum: Christianos iisdem Legibus teneri; idque non publicæ tranquillitatis tantum causa, sed propter conscientiam etiam, atq; futuræ vitæ certissima, quæ rebellibus & non obedientibus constituta sunt supplicia. Hæc tria breuiter expediamus.

LXVIII.

1
2
3

LXVIII.

ESSE in Christi Ecclesia (quod primum Caput est) qui leges Christiano populo imponere valeant, tam est certum, quam esse in eadem Superiores, Pastores, Iudices, Legatos, Præpositos. Quid enim? Si sunt qui cum autoritate præsumunt, nonne Leges ipsi, qui subiecti sunt, possunt imponere? Si sunt Pastores, nonne omnibus imperandi autoritate pollent? Si Iudices sunt, nonne in Religionis controuersijs quid credendum sit præstandumue, possunt constituere? Si sunt, qui Legatione funguntur pro Christo, profecto quemadmodum Christus (quem Legislatorem Propheta compellat) possunt leges ponere. Sic si Præpositi sunt, oportet ipsorum dictis subditi pareant, oportet reuerentur auctoritatem.

Isaia 33.

LXIX.

AN forté in Ecclesia Superiores non sunt? aut desiderantur Pastores, Iudices, Legati atq; Præpositi? At esse vel sola testantur Sacra literæ. Qui inter vos Præcessor est (inquit Dominus) fiat sicut ministrator. En Superiores. Pascite, qui in vobis est, gregem (inquit Apostolus Petrus.) En Pastores. Qui Ecclesiam non audierit (verba sunt Domini) sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. hinc Iudices denotat. Legatos porro reperiri demonstrat illa oratio Domini, qua ita se Apostolos mittere declarat, quemadmodum ipse missus est à patre. Sic Præpositis testimoniũ dat Sanctissimi Pauli ad Hebræos exhortatio, quæ docet Præpositis obediendum, vt qui rationem daturi sint in extrema illa die de grege sibi commisso.

Luc. 22.

1. Pet. 5.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Hebr. 13.

LXX.

QVOD alicubi Dominus ait. Qui vos audit me audit, &c. Quod ad Apostolos Apostolorumq; successores pertinet, vt testantur Cyprianus & Basilius: At cum potestate missus est Christus; cum potestate, inquam, non docendi solum, & Sacramenta administrandi; sed præcipiendi quoq; atq; leges ferendi: Erit igitur in Ecclesia præcipiendi potestas.

Luc. 10.

Lib. 4. epist.

inconstit. Monast. c. 23.

LXXI.

IDE Milla ipsius post Resurrectionem oratio, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, demonstrat, quoniam, vt

Ioan. 20.

Isaia 33.

Theophyl. exponit, opus suum eadem illis commendauit. At opus ipsius inter alia est, vt sit legifer. Dominus (inquit Propheta) Legifer noster; Qui igitur ab ipso missi sunt (vt sunt Ecclesie Duces atque Præfecti) quemadmodum Dominus, possunt leges ferre & mandata dare.

LXXII.

PRÆTEREA Regnum est Christi Ecclesia: domus est: nauis est: corpus est. At regnum nullum est, vbi nulla leges præscribendi potestas est. Nec est benè constituta domus, vbi omni imperio destitutus est paterfamilias. Versatur in periculo nauis, vbi pro auctoritate nihil mandare potest nauclerus. Miserum corpus, vbi quæ superioris alicuius imperium excipere possunt nulla sunt membra.

LXXIII.

QVOD si nascentis Ecclesie formæ contemplerur, vel ipsa exempla eorum qui primis temporibus floruerunt, huius in Ecclesia relictæ potestatis magnum testimonium præbere possunt. Quoniam quos Christiani gregis Duces, & capita agnoscimus, partim leges Christianis posuerunt, partim vt impositas studiosè obseruarent hortati sunt, & in eos qui legum essent violatores, grauitè animaduertisse illorum temporum Historiæ testantur.

LXXIIII.

ORTA quandoque fuit Controuersia de Circumcisione & Veteris Legis ceremonijs atque institutis obseruandis. *Actor. 15.* Disputatum tenerenturne ijs, qui Christi fidem complexi essent. Apostoli re deliberata, vbi graui iugo Christianos liberatos docuissent, præcipiunt, vt abstineant ab immolatis simulachrorum, à sanguine, à suffocato, à fornicatione. Quæ constituta tum ibi fuerunt, vt quam diligentissimè seruarentur in Syria, Cilicia, alijsq; prouincijs (quemadmodum Actuum historia habet) imperarunt,

LXXV.

Lib. Concil.

EORVNDEM Apostolorum extant Canones 60. vt Zepherinus Pontifex testatur; aut, vt Leo Nonus, quinquaginta; aut 85. quos recepit & probauit Sexta Synodus. Certe,

vt

vt de Canonum numero nihil dicamus, Canones ab Apostolis editos, & omni tempore magni habitos fuisse dubitare nemo debet. At ab Apostolis Canones constitui non potuerunt, si penes ipsos potestas non fuit in Christianum populum quippiam constituendi.

LXXVI.

QUID multis? vnus S. Paulus magnis & multis exemplis id quod docemus, potest testari. Alias mulieribus, alias Episcopis, alias diaconis, alias coniugatis, alias fidelibus omnibus, qui Corinthi degebant, Leges cum authoritate præscribit? Mulieres vult in Ecclesia tacere, & velamen super caput habere: Episcopos vult vnus vxoris esse viros, filios habentes subditos in omni castitate, non Neophytos: Diaconos non vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Qui in matrimonio sunt fratribus præcipit, vt si vxores habeant infideles, & hæc consenserint habitare cum illis, non illas dimittant, quemadmodum nec mulieres vult dimittere viros infideles, modo cum iisdem habitare consentiant. Denique Christianis omnibus, qui Corinthi degebant, mandat, vt cœnam Dominicam sumpturi se mutuo expectent.

1. Corinth. 14.

et 10.

1. Timoth. 3.

1. Corinth. 7.

1. Corinth. 11.

LXXVII.

SEQVENTIBVS temporibus eadem semper potestate vsa est Ecclesia. Id ex Concilijs, quæ in vniuerso orbe Christiano celebrata sunt, deprehendere licet. Nulla fuerunt, siue Generalia, siue quæ Particularia vocamus, in quibus non multa piè salubriterq; humana authoritate sint constituta. An fortè hic, quod vel non debuit, vel non potuit, Ecclesia sibi ius vsurpauit?

LXXVIII.

SIC Summorum Pontificum extant non pauca decreta. Nec pauca Romanorum Imperatorum sunt Constitutiones. Regum quoque atque aliorum Ecclesiæ procerum habentur Sanctiones plurimæ. Tantum vero abest, vt Christianus po-

pulus eos quicquam præter officium suum præstitisse vnquam iudicauerit, vt Religioni sibi duxerit, ab horum mandatis vel latum vnguem discedere.

LXXIX.

NON potest non summa in Christi Regno esse confusio, si non aliquos Christus in Ecclesia esse voluisset, qui fidelibus leges imponere possent. Cum enim non omnia diuinis legibus instituta sint: sine legibus autem Respublica non consistat: nunquid non necesse est, vt quilibet sibi leges præscribat? quanta vero tum confusio expectanda est? præsertim cum, vt vnus omnium sensus sit, prorsus sit impossibile.

LXXX.

NON violat naturæ ius Christi Religio: quin imo tuetur, & perficit. At hoc facultatem imperandi tribuit Superioribus: hoc inferioribus mandat, vt Superiorum mandata exequantur. Christiana igitur Religio potestatem agnoscit, quæ cum auctoritate præcepta dare possit.

LXXXI.

HINC iam ad alterum Caput, quod demonstrandum erat, facilis patet accessus. Si enim in Ecclesia potestas est condendarum Legum, profecto Subditis necessitas incumbit, vt conditas Leges obseruent. Frustra siquidem confertur potestas, si in quos ipsa se exerat, nulli in Ecclesia reperiuntur.

LXXXII.

ADDE quod ea natura Legis sit, vt liget, libertate priuet, & vi cogendi polleat. Lex, inquit Aristoteles 10. Ethicorum, est ratio vim habens cogendi, aut igitur in Ecclesia Christi Leges non sunt; aut si sunt, necessariam obseruantiam postulant.

LXXXIII.

SED & Lex à præcepto haud quidquam differt. Inter Præcepta vero atq; Consilia hoc interest, vt in Consilijs plena sit absolutaq; libertas, possintq; fideles vel hoc vel aliud complecti;

in

In Præceptis necessitas facit, vt quod mandatur non possit omitti; quod prohibetur non possit comitti.

LXXXIII.

IAM supra diximus in Christi Ecclesia esse Superiores, Pastores, Iudices, atq; Præpositos. Sunt igitur in eadem inferiores, oues, rei, atq; subditi. At nisi inferiores audiant mandata Superiorum, oues Pastorum, rei Iudicum, subiecti Præfactorum; necesse est confusam quandã multitudinem Christi Regnũ asserere.

Thef. 69. tertia Disput.

LXXXV.

NVNQVID non necessitas Christianis incumbit, vt Christi vocem audiant, & mandata seruent? Incumbit profecto. At se docet audiri in Apostolis, Apostolorumq; successoribus; se sperni, si illi spernantur, eorumq; præcepta contemnantur. Si igitur necesse est vt Christi seruentur mandata, profecto eorum omitti non possunt, qui pro Christo legatione funguntur.

Luc. 10.

LXXXVI.

ABSTINENTIA ab immolatis, à sanguine, à suffocato, humana lex est, & Apostolorum voluntate constituta; & tamen res erat summa diligentia obseruanda. Visum est (inquiunt Apostoli) Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, præter hæc Necessaria. vbi pulchrè Chrysostomus, Vide, inquit, breuem Epistolam, neque Epicheremata neq; syllogismos habentem; sed Imperium.

Actor. 25.

Homil. 33. in Acta.

LXXXVII.

SIC sanctissimus Paulus, quæ Hierosolymis constituta essent, noluit in hominum libera voluntate posita esse. prorsus iudicauit perficienda. Pertransiens (inquit Lucas) Ciuitates, præcipiebat ijs custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.

Actor. 16.

LXXXVIII.

IDEM Apostolus scribit Thessalonicensibus, ne communionem cum illo habeant, qui suo ipsius verbo non obedit. Omnino igitur expedire iudicabat, & necessarium esse, vt quæ ipse præcepisset seruarent.

2. Thessal. 3.

LXXXIX.

LXXXIX.

CVR quæso, Legibus humanis gravissimæ pœnæ adiunctæ sunt? cur inquam? nisi, ut quos amore virtutis ad earum observationem non possunt, eos impellant formidine pœnæ? At novum non est pœnas Legibus adiungi: Omnium temporum historiæ huius exempla suppeditant, non in ciuilibus tantum, verum etiam Ecclesiasticis rebus.

XC.

PORRO necessitas hæc, qua Christiani ad humanas Leges astringuntur, maxima est; quoniam, (quod tertio loco demonstrandum erat) cum præsentissimo animarum nostrarum periculo frequentissime est coniuncta, & grauem Dei iram accersit ijs, qui legum præuaricatores existunt.

XCI.

Ad Rom. 13.

NEQVE enim verba tantum sunt & voces, quod Apostolus docet fideles, potestatibus superioribus subditos esse oportere, non propter iram solum, sed & propter conscientiam; quodque asserit damnationem sibi acquirere quicumque potestati resistunt. Significat Apostolus non ob pœnarum tantum formidinem, quæ à Magistratibus infligi possunt, ipsorum mandata exequenda esse, verum etiam propterea, ne offensum Deum habeamus, & futuræ vitæ damna incurramus, ut exponunt Chrysostomus, Oecumenius, Theophilactus, Ambrosius, Beda, Anselmus, Augustinus epistola quinquagesima quarta ad Macedonium.

XCII.

Luca 10.

CERTE Deum illos offendere, qui Christi vocem audire recusant, nemo potest dubitare. At Christi disertissima oratio est, quod qui Apostolos, Apostolorumque successores spernit, Christum spernat. Quando vero magis contemni dici debent Apostoli Apostolorumque successores, quam dum eorum mandata negliguntur?

XCIII.

XCIII.

QUID quod quæcunq; in terris ligant Apostoli, in cœlis quoq; ligata esse Dominus velit? quemadmodum in cœlis soluta esse, quæ ipsi in terris soluunt? At ligant Apostoli legibus: Peccant igitur in Deum, qui Legibus non obtemperant. Hinc pulchre B. Hieronymus, Potestatem, inquit, tribuit Apostolis, ut intelligant, qui à talibus damnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari.

Matth. 16.

In 16. Matth.

XCIII.

NON minor in Ecclesia Christi autoritas est apud Christianæ Reipub. Duces, quam fuerit olim apud Sacerdotem summum in Veteri lege. At sine peccato mandata huius negligi non potuisse, illud certissimum argumentum est, quod præsentissima mors ex decreto Iudicis inferebatur ijs, quicunq; Sacerdotis imperio obedire nolissent.

Deut. 17.

XCIV.

INIUSTÆ essent omnes Leges, quibus sub excommunicationis pœna, aut exilij, aut capitis, aut mutilationis, aut bonorum omnium confiscationis aliquid præcipitur, nisi ipsa quoq; conscientia, transgressione legis rea ageretur: quoniam fieri nequit, ut his pœnis in Christi fideles iustè animaduertatur, & ipsorum interim conscientia ab omni peccati labe sit immunis. Omnis pœna, inquit B. Augustinus, si iusta est, pœna peccati est. Quot vero sunt Leges cum his censuris latæ? an iniustæ omnes?

Lib. 1. Retra. cap. 9.

XCVI.

QVICVNQVE olim in Christi Ecclesia Patres doctrina vitæq; sanctitate claruerunt, non nisi cum magno conscientia grauamine, à Magistratibus politicis Ecclesiasticisq; sanctitas Leges violari docuerunt. Id vel in vna Ieiunij Lege, quæ Ecclesiastica est, demonstrari potest. Non leue peccatum est, inquit Ambrosius, indictam fidelibus Quadragesimam violare: & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere. Augustinus Alijs diebus, inquit, ieiunare remedium est aut præmium: in Quadragesima non ieiunare peccatum est. Leo Pium est, inquit, agere non indictum: impium est negligere prædicatum. Hortatur S. Ba-

Sermo 25.

Sermo 62. de Tempore.

S

filius,

Serm. 3. de Ieiunio x. mensis filius, ne propter paruam eduliorum voluptatem damnum vellemus incurrere; & nos ipsos criminis reos constituamus. *Oratione 2. de Ieiunio.* commendat Populum Antiochenum Chrysostrmus, quod etsi ipsos infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid lege Ieiunij non concessum gustare, malit tamen omnia pati, quam prohiberetur tangere nutrimentum, &c.

XCVII.

In 13. ad Heb. **HINC** est, vt optimè dixerit B. Chrysostrmus melius esse non habere Prepositum: quam habere, & eidem non obedire. quoniam qui non habent, inquit, solum patiuntur damnum directionis pastoralis: at qui habent & non obediunt, patiuntur illud idem damnum, & præterea peccant puniunturq; à Domino.

XCVIII.

In Psal. 70. **QVID** quod non obligent solum conscientias Leges humanae, verum etiam non minus obligent quam diuinae? Non errauit Augustinus cum dixit, Vbi hoc iubet Pater, quod contra Dominum non fit, sic audiendus est, quomodo Deus. Nec errauit Bernardus, cuius hæc oratio est, Siue Deus, siue homo vicarius Dei mandatū quodcunq; tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Vide Bell. Tom. 1. Cont. 5. lib. 4. cap. 11.

XCIX.

SED tamen licet Leges humanae obligent, quemadmodum pluribus iam demonstratum est; non omnes tamen obligant, nec omnium æqualis est obligatio, sicuti nec æqualis obligatio omnium est, quæ diuinitus constitutæ sunt. aliarum transgressio grauior, aliarum leuior. Sed hæc aliam disputationem postulant,

C.

NOSTRVM est ob fidei lumen, quod nobis diuinitus illuxit Deo gratias agere: sectas atq; opiniones ab vna veraq; fide alienas detestari: denique pia sobria atq; iusta conuersatione fidei nostræ testimonium præbere.

*Finis Disputationis Tertiæ de Libertate fidei
& Religionis Christianæ.*



PRO DUCIBVS ET CAPI-
TIBVS

Liberæ Religionis B. Augustini
Sententia.

Tom. x. de verbis Apostoli, serm. xxij.

VTINAM hæc aliquando cogitent, vel serò cogi-
rent, vel detumescente animositate cogitent: ad se redeant,
se interrogent, se discutiant, sibi respondeant pro verita-
te: non timeant eos quibus falsitatem diutissimè vendiderunt.
Ipsos enim timent offendere: Erubescunt humanæ infirmitati,
& non erubescunt inuictissimæ veritati. Vtrique hoc timent, ne
dicatur eis: Quare ergo nos decepistis? quare nos seduxistis?
quare tanta mala & falsa dixistis? Respondere deberent, si Deum
timerent: *Humanum fuit errare, Diabolicum est per animositatem in
errore manere.* Melius quidem erat, si nunquam erraremus, sed
vel quod secundum est faciamus, vt errorem aliquando emen-
demus. Decepimus, quia decepti eramus: falsa præiudicau-
imus, qui præiudicantibus falsa credidimus. Dicant suis, simul
errauimus, simul ab errore recedamus. Duces vobis fuimus ad
foueam, & secuti estis cum duceremus ad foueam; & non se-
quimini cum ducimus ad Ecclesiam?

S 2

INDEX



INDEX CAPITVM ET ARGUMENTORVM QVÆSTIONVM
DE LIBERTATE FIDEI ET CHRIS-
TIANÆ RELIGIO-
NIS.

PRIMA QVÆSTIO.

Sitne Liberum Infidelibus Paganis
& Iudæis Christianam fidem
atque Religionem com-
plecti?

CAPIT. I. Ex duplici Capite demonstratur non
esse Liberam, sed maxime necessariam fidem Religionemq;
Christianam, ad consequendam vitam æternam, omnibus
Infidelibus.

CAP. II. Docetur non licere Christianis Prin-
cipibus vi atq; armis Infideles compellere ad Christianam
fidem siue Religionem.

CAP. III. Quantum ius habeat Ecclesia in cau-
sa fidei atque Religionis apud Infideles promonenda, ex-
penditur.

QVÆ-

INDEX.

141

QVÆSTIO. SECVNDA

An qui se Christianos profitentur, in
quavis, quæ hoc tempore Christiana
fides & Religio dicitur, sint
permittendi?

CAP. I. Ex veteris Testamenti historia demon-
stratur DEO semper displicuisse multitudinem Religionum:
semperq; cauiffe, ne præter vnam veram, alia esset apud suos.

CAP. II. Ex Noui Testamenti libris docetur Li-
bertatem Religionis non esse admittendam, sed vnam tan-
tum retinendam & defendendam.

CAP. III. Ostenditur Liberam variamq; Religio-
nem displicuisse semper Capitibus & Ducibus Christianæ Rei-
publicæ, omnibusq; rationibus eidem obuiam itum esse.

CAP. IIII. Docetur Liberam Religionem turbare
pacem & tranquillitatem Reipublicæ Christianæ: & cum
grauissimis semper tumultibus coniunctam fuisse, atque vbiq;
summe crudelitatis exempla reliquisse.

CAP. V. Liberam fidem & Religionem tendere ad
certissimam totius Christianæ Religionis eersionem, mul-
tis rationibus demonstratur.

CAP. VI. Concluditur ex præmissis Liberam fidem
& Religionem à Magistratu permitti non posse. Ad quod
argumentum confirmandum aliæ rationes adhibentur.

CAP.

INDEX

CAP. VII. Probatur Magistratum pro vna vera Religione tenenda, & ad Liberam suis ditionibus profligandam posse vim externam, atq; armatam manum adhibere.

CAP. VIII. Docetur necessitatem incumbere Magistratibus, vt, si alia ratione non possint, vi suos in vna vera Religione contineant, & quamcunq; aliam profligent.

QVÆSTIO TERTIA

Quænam sit Libertas, quam fides siue Religio Christiana postulat?

CAP. I. Per fidem Christianamq; professionem non conferrî Libertatem à miseria.

CAP. II. Per fidem Christianamq; professionem non tribui Libertatem à peccato.

CAP. III. Per fidem & Christianam professionem non tribui Libertatem pœnarum peccatis debitarum.

CAP. IIII. Libertatem ab humanarum legum Obedientia non contingere beneficio fidei Christianæ.



Errata sic corrige.

IN SEVNDÄ DISPVATIONE.

Thesi 40. Ante pro An. Thesi 104. PRÆCEDENTIVM
pro PRÆSENTIVM. Thesi 112. sed pro se. Thesi 135. mo-
nent pro mouent. Thesi 148. Riligioseque pro religioseque.
Thesi 200. pœnas potissimi, pro pœnas nec potentissimi. Thesi
217. parontes pro parentes. Thesi 234. vive ro pro vi vero.

IN TERTIA DISPVATIONE.

Thesi 9. In voluntate & malitia, pro, in voluntate malitia.
Thesi 17. pro sintq; pro profintq;. Thesi 31. fol. 11. in 2. au-
thoritate Chrysoftomi, non pro nos. Thesi 50. multa pro multo.
Thesi 63. deniq; pro deinde. Thesi 76. digebat pro degebat, &c.

F I N I S.



144

INDEX

IN PRIMA DISPUTATIONE

Thesis I. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis II. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis III. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis IV. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis V. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis VI. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis VII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis VIII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis IX. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis X. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XI. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XIII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XIV. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XV. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XVI. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XVII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XVIII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XIX. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XX. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXI. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXIII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXIV. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXV. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXVI. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXVII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXVIII. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXIX. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

Thesis XXX. In voluntate & militia, pro in voluntate militis.

FINIS



46 ⁴/_{n, 2}

AB 46 ⁴/_{n, 2}

ULB Halle


3


002 814 994



SB








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LIBERTATE
 ET RE-
 CHRISTIA-
 ATIO THEO-
 RIPARTITA:

quam
 antina pro gradu re-
 um & philosophiæ
 Theologiæ Bac-
 Biblici,

RIELL NOVIO MAG.
 T
 YTEN TRAIECT.

eside
 EO SOCIETATIS
 ET PROFESSORE
 LOGO.

. 166. ad Donatistas.
 quam Libertas erroris?
 non sint in nobis Schismata.

NTIÆ
 parus Behem.

176

